EDICTA
REGUM LANGOBARDORUM

QUAE

COMES BAUDI A VESME

IN GENUINAM FORMAM RESTITUIT

SECUNDUM EDITIONEM

AUGUSTAE TAURINORUM

REPETENDA CURAVIT

J. F. NEIGEBAUR.

CUM APPENDICE:

REGUM LANGOBARDORUM LEGES DE STRUCTORIBUS.

EDITIO SECUNDA.

MONACHII
SUMTIBUS ET TYPIS GEORGII FRANZ.
MDCCCLVI.

VIRO PRAENOBILISSIMO

DAVOUD OGHLOU GARABED ARTIN

SUMMAE PORTAE OTTOMANNICAE A CONSILIIS RERUM EXTERNARUM,
EQUITI, ETC.

GERMANICARUM LEGUM ANTIQUARUM GNARISSIMO*)

DOCUMENTUM SOCIETATIS OLIM INTER SE HABITAE

D. D. D.

JOH. FERD. NEIGEBAUR.

*) Davoud Oghlou Garabed Artin Histoire de la législation des anciens Germains, Visigoths, Baiuvariens, Alamanns, Burgundions, Francs-Saliens, Francs-Ripuaires, Langobards, Thuringiens, Frisons, Saxons, Anglo-Saxons. Gr. 8. Berlin 1845. Reimer II. Vol.

LECTORI

JOH. FERD. NEIGEBAUR S.

Vir summae eruditionis, **Comes Carolus Baudi a Vesme,** regni Sardiniae Senator, inclitaeque Academiae Taurinensis sodalis benemeritus, Langobardorum Regum leges ad antiquissimorum et optimorum librorum fidem integriores, quam antehac prodierunt, nuperrime Augustae Taurinorum edidit, et in pristinam et genuinam formam nunc primum restituit. Docti juris veteris Germanici scrutatores jam dudum hujus operis desiderio tenebantur. Attamen cum editio ejusdem, a societate ad edenda historiae patriae monumenta ibidem constituta, procurata in paucissimis tantum exemplaribus prodierit, raroque Alpium montes transmigraverit, denuo eam una cum Codicis Gothani a nobis in specti lectionibus variis, typis repetendam curavimus.

Dabam Vratislaviae Calendis Juliis MDCCCLVI.

INDEX.

EDICTUM ROTHARIS REGIS.

EDICTUM GRIMOWALDI REGIS.

EDICTUM LIUTPRANDI REGIS.

DE ANNO PRIMO.

DE ANNO QUINTO.

EDICTUM RACHIS REGIS.

EDICTUM AHISTULFI REGIS.

APPENDICES.

INCIPIT EDICTUM
ROTHARIS REGIS.

(Decimo kalendas decembres, anno DCXLIII.)

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JEISU CHRISTI

INCIPIT ORIGO GENTIS NOSTRE LANGOBARDORUM, que egressa est ab insula que dicitur SCANDANAN, quod interpretatur *in partibus Aquilonis*, ubi multae gentes habitant; inter quibus erat gens parva, quae WINNILIS vocabatur. Et erat cum eis mulier nomine GAMBARA, habebatque duos filios: nomen uni YBOR, et nomen alteri AJO. Ipsi cum matre sua nomine Gambara principatum tenebat super Winnilis.

II. Moverunt se ergo duces Wandalorum, id est AMBRI et ASSI, cum exercitibus suis, et dicebant ad Winnilis: *Aut solvite nobis tributa, aut preparate vos ad pugnam et pugnate nobiscum.* Tunc responderunt Ybor et Ajo cum matre sua Gambara, dicentes: *Melius est nobis pugnam preparare, quam Wandalis tributa persolvere.* Tunc Ambri et Assi, hoc est duces Wandalorum, rogaverunt GODAN, ut daret eis super Winnilis victoriam. Respondit Godan dicens: *Quos sol surgente antea videro, ipsis dabo victoriam.* Eodem tempore Gambara cum duobus filiis suis, id est Ybor et Ajo, qui principes erant super Winnilis, rogaverunt FREAM uxorem Godan, ut ad Winnilis esset propitia. Tunc Frea dedit consilium, ut, cum sol surgeret, Winnilis et mulieres eorum, crines solute circa faciem in similitudinem barbae, cum viros suos venirent. Tunc lucescente caelo dum sol surgeret, gyravit Frea uxor Godan lectulum ubi recumbebat vir ejus, et fecit faciem ejus contra orientem, et excitavit eum. Et ille aspiciens vidit Winnilis et mulieres eorum habentes crines solutas circa faciem in modum barbae, et dixit: *Qui sunt isti Langobardi?* Et dixit Frea et Godan: *Domine, sicut dedisti nomen, da illis et victoriam.* Et dedit eis victoriam, ut ubi visum esset vindi-

carent se, et victoriam haberent. Ab illo tempore Winnilis LANGOBARDI vocati sunt.

III. Et moverunt se exhinde Langobardi, et venerunt in Goltidam; et postea possederunt Aldonus, Anthabus, et Bainaib, seu et Burgundaib. Et dicitur quia fecerunt sibi regem nomine AGELMUND, filium Ajo, ex genere Gugingus. Et post ipsum regnavit LAMICHO, ex genere Gugingus. Et post ipsum regnavit LETHUC, et dicitur quia regnasset annos plus minus quadraginta. Et post ipsum regnavit ALDIHOC, filius Lethuc. Et post ipsum regnavit GODEHOC.

IIII. Illo tempore exivit rex Odojacer de Ravenna cum exercitu Alanorum, et venit in Rugilanda, et expugnavit Rugos, et occidit Fewane regem Rugorum, et secum multos captivos duxit in Italiam. Tunc exierunt Langobardi*) de suis regionibus, et habitaverunt in Rugilanda annos aliquantos. Et postea regnavit CLAFFO filius Godehoc. Et post ipsum regnavit TATO filius Claffonis. Sederunt Langobardi in campis Feld annos tres. Et pugnavit Tato cum Rodolfo rege Herulorum, et occidit eum, et tulit bandonem ipsius**) et capsidem; post eum Heruli regem non habuerunt. Et occidit Wacho filius Unichis Tatonem regem barbane suo cum Zuchilone; et regnavit WACHO.***) Et pugnavit Ildechis filius Tatoni; et fugit Ildechis filius Tatoni ad Gippidos, ubi mortuus est. Injuria ejus vindicanda Gippidi scandalum commiserunt cum Langobardis.

V. Eo tempore inclinavit Wacho Suavos sub regno Langobardorum. Wacho habuit uxores tres: una Ratecunda, filia Pisen, regis Thuringorum. Et post eam accepit uxorem Austrigosam, filiam Gippidorum, et habuit Wacho de Austrigosam filias duas: nomen une Wisecarda, quam tradidit in matrimonio Theo-

---

*) *Pro* de suis regionibus — Pugnavit Tato *Chron. Gothanum* de Pannonia, et venerunt et habitaverunt in Rudilanda annos plurimos et ad suam degmam perduxerunt. Ante Peronem regnavit Godoin; post Peronem tenuit principatum Langobardorum Claffo; et post Claffonem regnavit Tatto. Eo tempore redierunt Langobardi in campis Filda, fecerunt ibi annos tres. Et post haec pugnavit Tatto

**) *Pro* et capsidem. Post eum *Chron. Gothanum* et populum ipsius in fugam misit; ibi praedavit omnia bona eorum: postea Heroli

***) *Pro* Et pugnavit — ubi mortuus est. *Chron. Gothanum* et expugnavit Heldechis filium Tattonis, et fugit Heldechis ad Gibidos, et ibi mortuus est.

deperto regi Francorum; et nomen secundae Walderada, quam habuit uxorem Cusobald, rex Francorum, quam odio habens tradidit eam Gairipald in uxorem, principi Bajoariorum. Et postea accepit Wacho tertiam uxorem, filiam regis Herulorum, nomine Sigelenda; de ipsa habuit filium nomine Waltari. Et mortuus est Wacho; et regnavit filius ipsius Waltari post ipsum annis septem, et farigaldus. Isti omnes Lethingis fuerunt.

VI. Et post Waltari regnavit Audoin. *) Audoin ex genere fuit Gausus. Ipse adduxit Langobardos in Pannonia. Et mortuus est Audoin in Pannonia; et regnavit Alboin filius ipsius post eum, cui mater fuit Rodelenda. Eo tempore pugnavit Alboin cum rege Gippidorum nomine Cunimund; et mortuus est Cunimund in ipsa pugna, et debellati sunt Gippidis. Tunc tulit Alboin uxorem Rosemunda, filia Cunimundi, quem predaverat; quia jam mortua fuerat uxor ipsius Hlodsuinda, quae fuit filia Hlothari, regis Francorum, de qua habuit filia nomine Albsuinda. Et habitaverunt Langobardi in Pannonia annos quadraginta duo.

VII. Ipse Alboin adduxit Langobardos in Italia, invitatus a Narsete patricio. Et movit Alboin rex Langobardorum de Pannonia mense aprilis a Pascha, indictione prima; secunda vero indictione ceperunt praedare in Italia; tertia autem indictione factus est dominus Italiae. Et regnavit Alboin in Italia annos tres, et occisus est in Verona in palatio ab Helmechis et Rosemunda uxorem suam, per consilium Peredeo.

VIII. Voluit Helmechis regnare et non potuit, quia volebant eum Langobardi occidere. Tunc mandavit Rosemunda ad Longinum prefectum, ut eos reciperet Ravenna. Mox ut audivit Longinus, gavisus est, et misit navem angarialem, et tulerunt Rosemunda et Helmechis et Albsuinda filia Alboin regis, et omnis thesauros Langobardorum secum duxerunt in Ravenna. Tunc ortare cepit Longinus prefectus Rosemunda ut occideret Hilmichis, et esset uxor Longini. Audito consilio ipsius, temperavit venenum, et post balneo dedit ei in caldo bibere. Cumque vivisset Helmechis, mox intellexit quod malignum vivisset, precepit ut et ipsa Rosemunda biberet invita: quod cum vibisset ipsa, mortui sunt ambo. Tunc Longinus prefectus tulit thesaurum

---

*) *Chron. Gothanum addit* Mater autem Audoin nomine Menia uxor fuit Pissae regis.

Langobardorum et Albsuinda filia Alboin regis; jussit eam ponere in navem, et transmisit eam Constantinopolim ad imperatorem.

IX. Reliqui Langobardi levaverunt sibi regem nomine Cleph, de genere Beleos; et regnavit Cleph annos duos, et mortuus est. Et judicaverunt duces Langobardorum annos duodecim, regem non habentes. Post haec levaverunt sibi regem nomine Authari, filio Clephoni. Et acceptit Authari uxorem Theodelenda, filia Gairipald et Walderadae, de Bajoaria; et venit cum Theodolenda frater ipsius nomine Gundwald, et ordinavit eum Authari rex ducem in civitatem Astense; et regnavit Authari annos septem.

X. Et exivit Aquo dux Thuringus de Taurinis, et junxit se Theodelendae reginae, et factus est rex Langobardorum. Et occidit duces revelles suos, Zangrolf de Verona, Minulf de Insula Sancti Juli, et Gaidulf de Bergamum, seu et alios qui ei revelles fuerunt. Et genuit Aquo de Theodelenda filiam unam nomine Gumtiperga, et filium unum nomine Adelwald. Et regnavit Aquo annos xx et v. Adelwald filius ejus regnavit post mortem patris suis annos duodecim. Et post ipsum regnavit Alroald annos septem.

XI. Et post ipsum regnavit Rothari, de genere Arodus; et rupit civitates vel castra Romanorum quae fuerant circa litoralia, de prope Lune usque in terra Francorum, quam Ubitergium ad partem orientis. Et pugnavit circa fluvium Scultenna, et ceciderunt a parte Romanorum octo milia numerus.

[XII. Et regnavit Rothari annos decem et septem. Et post ispsum regnavit Aripert annos novem. Et post ipsum regnavit Grimoald. Eo tempore exivit Constantinus imperator de Constantinopolim, et venit in partes Campaniae, et regressus est in Sicilia, et ibidem occisus est a suis. Et regnavit Grimoald annos novem.

XIII. Post Grimuald regnavit Pertari annis xviii. Postea Cunipert filius ejus regnavit annis xiii. Liutpert, filius Cunipert, regnavit annis v. Aripert, filius Rachipert, regnavit annis xii. Aspband regnavit annos iii. Liutprand filius ejus regnavit annos xxiii. Utprand regnavit menses viii. Post ipsum vero Rachis, filius Pimoni, annis v. Post ipsum regnavit Aistulfus frater ejus annis viii, qui persecutus est a rege Francorum. Post ipsum regnavit Desiderius annos xvii et menses iii; et ductus est captivus in Franciam. Et postea regnavit Carolus annos xl.]

Ego in Dei nomine ROTHARI vir excellentissimus, et septimodecimo rex gentis Langobardorum, anno, Deo propitiante, regni mei octabo, aetatisque tricessimo octabo, indictione secunda, et post advento in provincia Italiae Langobardorum, ex quo, Alboin tunc temporis rege, praecedentem divina potentia, adducti sunt, anno septuagesimo sexto, feliciter. Dato Ticino, in Palatio.

Quanta pro subjectorum nostrorum commoda nostrae fuit sollicitudinis cura et est, subter adnexa tenor declarat; precipue tam propter adsiduas fatigationes pauperum, quam etiam superfluas exactiones, ab his qui majore virtute habentur, quos modo vim pati cognovimus. Ob hoc, considerantes Dei omnipotentis gratiam, necessarium esse prospeximus presentem corregere legem, quam priores homines renovent et emendent, et quod deest adiciant, et quod superfluum est abscindant. In unum previdimus volumine conplectendum, quatinus liceat unicuique, salva lege et justitiam, quiete vivere, et propter opinionem contra inimicos laborare, seque suosque defendere fines.

Tamen, quamquam haec ita se habeant, utilem prospeximus, propter futuri temporis memoriam, nomina regum antecessorum nostrorum, ex quo in gente nostra Langobardorum reges nominati ceperunt esse, in quantum per antiquos homines dedicimus, in hoc membrano adnotari jussimus.

Fuit primus rex Agelmund, ex genere Gugingus.

Secundus Lamisso.

Tertius Leth.

Quartus Sildehoc, filius Leth.

Quintus Godehoc, filius Sildehoc.

Sextus Claffo, filius Godehoc.

Septimus Tato, filius Claffoni. Tato et Unichis filii Claffonis.

Octabus Wacho, filius Unichis, nepus Tatoni.

Nonus Walthari.

Decimus Audoin, ex genere Gausus.

Undecimus Alboin, filius Audoin, qui exercitum, ut supra, in Italia adduxit.

Duodecimus Cleph, ex genere Beleos.

Tertiodecimus Authari, filius Cleph.

Quartodecimus Agilulf, Turingus, ex genere Anawas.

Quintodecimus Adlowald, filius Agilulf.

Sextodecimus Ariowald, ex genere Caupus.

Septimodecimus Ego in Dei nomine qui supra ROTHARI rex, filius Nanding, ex genere Arodus. Nanding filius Noczoni; Noczo filius Alamund; Alamund filius Alaman; Alaman filius Hilzoni; Hilzo filius Wehiloni; Wehilo filius Weoni; Weo filius Frochoni; Frocho filius Fachoni; Facho filius Mammoni; Mammo filius Obthora.

Et hoc generaliter damus in mandatis, ne aliqua fraus per vicium scriptorum in hoc Edictum adibeatur, si aliqua fuerit intentio nulla alia exemplaria credatur aut suscipiatur, nisi quod per manus Ansoald notario nostro scriptum aut recognitum seu requisitum fuerit, qui per nostram jussionem scripsit.

Cap. 1. Si quis hominum contra animam regis cogitaverit aut consiliaverit, anime suae incurrat periculum, et res ejus infiscentur.

2. Si quis cum rege de morte alterius consiliaverit, aut hominem per ipsius jussionem occiserit, in nullo sit culpavelis, nec ille nec heredis ejus quoquo tempore ab illo aut heredis ipsius requisitionem aut molestias patiatur; quia, postquam corda regum in manum Dei esse credimus, non est possevilem ut homo possit aduniare quem rex occidere jusserit.

3. Si quis foris provincia fugire temptaverit, morti incurrat periculum, et res ejus infiscentur.

4. Si quis inimicus intra provincia invitaverit aut introduxerit, anime suae incurrat periculum, et res ejus infiscentur.

5. Si quis scamaras intra provincia celaverit aut anonam dederit, anime suae incurrat periculum, aut conponat regi solidus nonientos.

6. Si quis foris in exercitum seditionem levaverit contra ducem suum aut contra eum qui ordinatus fuerit a rege ad exercitum gobernandi, aut aliquam partem exercitum seduxerit, sanguinis sui incurrat periculum.

7. Si quis contra inimicus pugnandum collegam suum dimiserit, aut anstalin fecerit, id est si eum diceperit et cum eum non laboraverit, anime suae incurrat periculum.

8. Si quis in consilium vel in quolebit conventum scandalum comiserit, nonientos solidus sit culpavelis regi.

9. Si quis qualemcumqne hominem ad regem incusaverit quod anime perteneat periculum, leciat ei qui accusatus fuerit cum sacramentalibus satisfacere et se aduniare. Et si tales causam emerserit ut adest homo in presentia qui crimen mittat, liceat ei per camphionem, id est per pugnam, crimen ipsum de super se, si potuerit, eicere; et si ei provatum fuerit, aut det animam, aut qualiter regi placuerit conponat. Et si provare non potuerit, et cognoscitur dolosae accusassit, tunc ipse qui

accusavit et probare non poterit widrigild suo conponat, medietatem regi, et medietatem cui crimen injectum fuerit.

10. Si quis homo liber in alterius morte consiliaverit, et ex ipso consilio mortuos non fuerit, tunc ipse consiliator conponat soledus vigenti.

11. *(De consilio mortis.)* Si homenis liberi inter se in morte alterius consiliaverit sine regis consilium, et ex ipso tractatus mortuos non fuerit, conponat unusquisque soledos vigenti; et si ex ipso consilium mortuos fuerit, tunc ille qui homicida est conponat ipsum mortuum sicut adpraeciatus fuerit, idest widrigild.

12. Si duo aut tres homenis sive amplius liberi humicidium penetraverint, et voluerent se adunare ut in unum conponant sicut adpreciatum fuerit, sit eis adunandi licentia. Et si aliquis se de ipsis subtraxerit, et non potuerit se purificare sicut lex habit, quod nec plaga nec ferita in ipsum hominem qui occisus est non fecissit, tunc sit culpavelis sicut et alii qui conposuit: et si se purificaverit, sit absolutus a pena humicidii. Si tamen in consilio fuerit, conponat, ut supra, soledos xx, aut certe de ipsum consilium se purificet si potuerit.

13. Si quis dominum suum occiserit, ipsum occidatur. Si quis ipsum humicida defensare voluerit qui dominum suum occiderit, sit culpavelis soledus noningintos, medietatem regi, medietatem parentibus mortui; et qui illius mortui injuriam vindicandam denegaverit solacia, si quidem rogatus fuerit, unusquisque conponat solidos quinquagentia, medietatem regi, et medietatem cui solacia denegaverit.

14. *(De morh.)* Si quis humicidium in absconso penetraverit in homine libero, servo, vel ancilla, et unus fuerit aut duo tantum qui ipsum humicidium fecerit, noningentos solidos conponat. Si vero plures fuerint, si ingenuus, qualiter in angargathungi ipsum humicidium conponat; si servus aut libertus, conponat ipsum ut adpretiatus fuerit. Et si expolia de ipsum mortuum tolerit, id est plodraub, conponat octugenta solidus.

15. *(De crapworfin.)* Si quis sepulturam homenis mortui ruperit, et corpus expoliaverit aut foris jactaverit, DCCCC soledus sit culpavelis parentibus sepulti; et si parentis non fuerit proximi, tunc gastaldius regis aut sculdahis requiret culpam ipsam, et a curte regis exegat.

16. *(De rahairaubus.)* Si quis hominem mortuum in flumine aut foris invenerit, et expoliaverit aut foris jactaberit aut

celaberit, conponat parentibus mortui solidos LXXX. Et si eum invenerit et expoliaverit, et mox vicinibus patefecerit, et cognuscitur quod pro mercedis causam, nam non furandi animo, reddat spolia quas super eum invenit, et amplius ei calomnia non generetur.

17. Si quis ex baronibus nostris ad nos voluerit venire, securus veniat, et inlesus ad suos revertatur; nullus de adversarius illi aliquam in itenere injuria aut molestiam facere presumat. Tantum est ut ille qui ad regem festinet venire oneste veniat, et nulla lesione aut damnum cuicumque in ipsum itenere ad regem veniendum aut rediendum faciat; nam si fecerit, sicut subter adnexum est conponat.

18. Si quis ex adversariis manum armatam super quemcumque ad regem venientem injecerit, suam injuriam aut qualemcumque culpam vindicandam, DCCCC solidos sit culpavelis, medietatem regi, et medietatem cui injuriam inlata fuerit.

19. Si quis pro injuriam suam vindicandam super quemcumque manu armata aut exercitum usque ad quattuor homenis in vico intraverent, ille prior pro inlecita presumtione moriatur, aut certe conponat solidos DCCCC, medietatem regi, et medietatem cui injuriam inlatam fuerit; et illi qui cum ipsum fuerunt, si liberi sunt, unusquisque octugenta solidos conponat, medietatem regi, et medietatem cui injuriam passum: excepto si in ipsum vicum casas incenderint aut hominem occiserint, secundum qualiter adpreciatum fuerit ita conponatur illi, cujus casas incesas fuerit aut parentes aut servus occisus fuerit.

20. Si quis de exercitalibus ducem suum contempserit ad justitiam, vigenti solidos regi et doci suo conponat.

21. Si quis in exercitum ambolare contempserit aut in sculca, dit regi et doci suo solidos XX.

22. Si quis de ipsum exercitum docem suum ad justam causam persequendam denegaverit solacia, unusquisque conponat regi et doci suo solidos viginti.

23. Si dox exercitalem suum molestaverit injuste, gastaldius eum solaciet, quousque ad praesentiam regi aut certe aput docem suum ad justitiam perducat.

24. Si gastaldius exercitalem suum molestaverit contra rationem, dux eum solaciet, quousque veritatem suam invenerit.

25. Si quis res suas ab aliom in exercitum requisierit, et noluerit illi reddere, tunc ambolit ad docem; et si dox aut

judex qui in loco ordinatus est a rege veritatem aut justitiam non servaverit, conponat regi, quam et cujus causa est, solidos vegenti, causa manentem.

26. *(De wecworin, id est urbitariam.)* Si quis mulier libere aut puellae in viam se anteposuerit, aut aliquam iujuriam intolerit, noningentos solidos conponat, medietatem regi, et medietatem cui ipsa injuria inlata fuerit, aut ad quem mundius de eam pertenuerit.

27. Si quis homini libero viam antesteterit, viginti solidos ei conponat, sic tamen ut aliquam lesionem in carnem ipsius non faciat; nam si fecerit, et vigenti solidos pro eo quod antestetit conponat, et feritas aut plagas si fecerit sicut subter in hoc Edictu adnexum est conponat.

28. Si quis servum alienum aut ancillam seu aldium aut libertum viam antesteterit, vigenti solidos dominum ejus conponat.

29. Si quis messem suam aut pratum seu qualevit clausura vindicanda homini prohibuerit, id est antesteterit ut non ingrediatur, non sit culpavelis sicut ille qui hominem sempliciter viam ambolantem antesteterit, eo quod laborem suum vindicavit.

30. *(De marahworfin.)* Si quis hominem liberum de cavallo in terra jactaverit per quodlevit ingenium iniquo animo, octuagenta solidus ei conponat; et si aliquam lesionem ei fecerit, sicut in hoc Edictum adnexum est ei conponat.

31. *(De walapautzo.)* Si quis homini libero violentia injuste fecerit, id est walapautzo, octugenta solidos ei conponat. Walapautz est, qui se furtim vestimentum alium induerit, aut se caput latrocinandi animo aut faciem transfiguraverit.

32. *(De curte.)* De homine libero, si nocte in curte alterius inventus fuerit et non dans manus legandi, et occiditur, a parentibus non requiratur. Et si manus dederit ad legandum, et legatus fuerit, dit pro se octugenta solidos: quia non convenit rationi, ut homo noctis tempore in curtem alienam silentio aut absconse ingreditur; sed si quacumque utilitatem habet, priusquam intret clamet.

33. Si servus in curtem aliena noctis tempore inventus fuerit, et non dans manus ad ligandum, si occiditur, non requiratur a domino; et si manus dederit et legatus fuerit, libere se cum quadragenta solidos.

34. Si quis in curtem alterius irato animo sagittaverit aut lancia jactaverit, aut de foris sepem alium plagaverit intra cur-

tem, conponat solidos vigenti; excepto cum plagas aut feritas fecerit, sicut in hoc Edictum legitur persolvat.

35. *(De scandalum.)* Si quis scandalum in ecclesia penetraverit, quadragenta solidos ipsius veneravelis loci sit culpavelis, excepto plagas aut feritas cui fecerit. Et predicti quadragenta solidi per sculdahis aut judicem qui in locu ordinatus fuerit exegantur, et in sacrum altarium ubi injuria facta est conponatur.

36. Si quis intra palatium ubi rege preest scandalum penetrare presumserit, anime suae incurrat periculum, aut redemat anima sua, si obtenere potuerit a rege.

37. Si quis liber homo in eadem civitatem ubi rex preest, aut tunc invenitur esse, scandalum penetrare presumpserit, id est si incitaverit et non percusserit, sit culpavelis solidos duodicem in palatio regis, nam si perfecerit et percusserit, sit culpavelis in palatio regis solidos vigenti et quattuor: excepto plagas aut feritas si fecerit, sicut in hoc Edictum adnexum est conponat.

38. Si servus in eadem civitatem in qua rex tunc invenitur esse scandalum incitaverit, sit culpabilis in palatio regis solidos sex; et si percusserit, sit culpavelis solidos duodicem; excepto feritas aut conpositionis plagarum, sicut in hoc Edictum legitur conponat.

39. Si liber homo in aliam civitatem scandalum incitare presumpserit, et non percusserit, sit culpavelis in palatio regis solidos sex; si autem percusserit aut plagaverit, sit culpavelis in palatio regis solidos duodecim: excepto conpositionis plagarum aut feritas si fecerit, sicut in hoc Edictum legitur conponat.

40. Si servus in aliam civitatem scandalom comiserit, solidos tres sit culpavelis in palatio regis; si autem feritas aut plagas fecerit, sit culpavelis in palatio regis solidos sex, excepto plagas aut feritas cui fecerit conponat.

41. *(De homine libero battuto.)* Si quis hominem liberum insidiatus fuerit cum virtutem aut solatium, vedens eum inparatum sempliciter ambolantem aut stantem subito super eum adveniens, et turpiter eum tenuerit et battederit sine jussione regis, medietatem pretii ipsius ac si eum occisissit ei conponat, eo quod in turpe et in derisiculum ipsius eum male tractavit.

42. *(De homine libero legato.)* Si quis hominem liberum legaverit absque jussionem regis sine causa, duas partis pretii ipsius tamquam si eum occisissit ei conponat.

43. *(De ferita aut percussura homenis liberi.)* Si quis hominem liberum subito surgente rexa percusserit, et liborem aut

vulnus fecerit, pro una ferita conponat ei solidos tres; si duas fecerit, solidos sex; si tres fecerit, solidos novem; si quattuor fecerit, solidos duodecim: si vero amplius duraverit, feritas non numerentur, sed sit sibi contentus.

44. Si quis alium pugno percusserit, solidos tres ei conponat; si alapas, sex.

45. De feritas et conpositionis plagarum quae inter homenis liberus evenerint per hoc tinorem sicut subter adnexum est conponatur, cessante faida, id est inimisitia.

46. *(De plaga in caput.)* Si quis alii plagam in caput fecerit ut cutica tantum rumpatur quod capilli coperiunt, conponat solidos sex; si duas plagas fecerit, conponat solidos duodicem; si usque tres fecerit, conponat solidos decem et octo: si vero amplius fecerit, non nomirentur, nisi in istas tres conponantur.

47. Si quis alium plagaverit in caput ut ossa rumpantur, pro uno osso conponat solidos duodicem; si duo fuerent, conponat solidos viginti quattuor; si tres fuerent conponat solidos triginta sex; si super fuerent, non nomirentur: sic ita ut unus ossus talis inveniatur, qui a pedis duodicem super viam sonum in scutum facere possit, et ipsa minsura de certo pedè hominis mediocris mensuretur, nam non ad mano.

48. *(De oculo evulso.)* Si quis alii oculum excusserit, pro mortuum adprecietur qualiter in angargathungi, id est secundum qualitatem persone, et medietas praetii ipsius conponatur ab ipsum qui oculum excusserit.

49. *(De naso absciso.)* Si quis alii nasum absciderit, medietatem pretii ipsius ei conponatur ut supra.

50. *(De labro absciso.)* Si quis alii labrum absciderit, conponat solidos sexdicem; et si dentis apparuerit unum, duo, aut tres, conponat solidos viginti.

51. *(De dentes priores.)* Si quis alii dentem excusserit qui in risum apparit, pro unum dentem dit soledus sidicem; si duo aut plures fuerent in risu apparentis, per hoc nomiro conponantur et pretietur.

52. *(De dentes maxillares.)* Si quis alii dentem maxillarem unum aut plures excusserit, per unum dentem conponat solidos octo.

53. *(De aurem abscisam.)* Si quis alii aurem absciderit, quartam partem pretii ipsius ei conponat.

54. Si quis alii plagam in faciem fecerit, conponat ei solidos sedicem.

55. *(De plaga in naso.)* Si quis alii plagam in nasum fecerit, conponat ei solidos sedicem, si resolutaverit, ut tantum cechatrices appareat.

56. *(De plaga in aurem.)* Si quis alii plagam in aurem fecerit, conponat ei solidos XVI, si resolutaverit.

57. *(De brachio transforato.)* Si quis alium in brachio punxerit et transforaverit, conponat solidos XVI.

58. Si quis alii brachium puncxerit et non transforaverit, conponat solidos octo.

59. *(De plaga in casso.)* Si quis alium intra capsum plagaverit, conponat solidos XX.

60. *(De plaga in coxa.)* Si quis alium in coxa plagaverit aut punxerit, si transforatum fuerit, conponat solidos XVI; si autem transforata non fuerit, conponat solidos octo.

61. *(De nomiro plagarum.)* Si plures plagas fuerent, usque tres tantumodo nomirentur, et per unamquamque plagam conponantur ut supra; nam amplius si fuerent, non conponantur.

62. *(De incisione manus.)* Si quis alii manum absciderit, medietatem pretii ipsius sicut adpretiatus fuerit si eum occissit ei conponat; et si sic sideraverit et non perexcusserit a corpore, quartam partem praetii ipsius ei conponat.

63. *(De digita manus.)* Si quis alii policem de manu excusserit, sextam partem pretii ipsius quod homo ipse adpraetiatus fuerit si eum occisissit ei conponat.

64. *(De secundo digito.)* Si quis alii secundum digitum de mano excusserit, conponat solidos sedicem.

65. *(De tertio digito.)* Si quis alii tertium digitum de mano excusserit, quod est medianum, conponat solidos quinque.

66. *(De quartum digitum.)* Si quis alii quartum digitum de manu excusserit, conponat solidos octo.

67. *(De quinto digitum.)* Si quintum digitum de manu excusserit, conponat solidos sedicem.

68. *(De incisione pedum.)* Si quis alii pedem excusserit, medietatem pretii ipsius ei conponat; et si sideratus fuerit et non perexcusserit, quartam partem pretii ipsius ei conponat.

69. *(De policem pedis.)* Si quis alii policem de pede excusserit, conponat solidos sedicem.

70. *(De secundo digito.)* Si quis alii secundum digitum de pede excusserit, conponat solidos VI.

71. Si tertium digitum de pede excusserit, conponat solidos tres.

72. Si quartum digitum de pede excusserit, conponat solidos tres.

73. Si quintum digitum de pede excusserit, conponat solidos duo.

74. In omnes istas plagas aut feritas superius scriptas, que inter homenis liberos evenerit, ideo majorem conpositionem posuimus quam antiqui nostri, ut faida, quod est inimisitia, post acceptam suprascriptam conpositionem postponatur et amplius non requiratur, nec dolus teneatur, set sit sibi causa finita, manente amicitia. Et si contegerit de ipsas plagas intra anni spatio qui plagatus est mori, tunc ille qui eum plagavit conponat qualiter in angargathungi, id est secundum qualitatem personae.

75. *(De infantem in utero matris mortuo.)* Si infans in utero matris nolendo ab aliquem occisus fuerit, si ipsa mulier libera est, et evaserit, adpretietur ut libera secundum nobilitatem suam, et medietatem quod ipsa valuerit infans ipse conponatur; nam si mortua fuerit, conponat eam secundum generositatem suam, excepto quod in utero ejus mortuum fuerit, ut supra; cessante faida, eo quod nolendo fecit.

76. (*De aldius, et servus ministeriales.*) De illos vero ministeriales dicimus, qui docti domui notriti sunt aut provati.

77. Si quis aldium alienum aut servum ministirialem percusserit, si vulnus aut libor apparuerit, pro una ferita conponat solidum uno; si duas fecerit, dit solidos duos; si tres fecerit, dit solidos tres; si quattuor ficerit, dit solidos quattuor: si vero amplius duraverit, non nomirentur.

78. Si quis aldium alieno aut servum ministerialem plagaverit in caput ut ossa non rumpantur, pro una plaga dit solidos duo; si duas plagas fecerit, dit solidos IIII; si tres fecerit, conponat solidos VI; excepto operas et mercidis medici: si vero amplius plagas capetis fuerit, non nomirentur.

79. Si quis aldium alienum aut servum ministerialem plagaverit in caput ut ossa rumpantur unum aut plures, conponat solidos quattuor, excepto operas et mercedis medici.

80. (*De plaga in facia.*) Si quis aldium alienum aut servum ministirialem plagam in faciem fecerit, conponat solidos duo.

81. (*De oculo evulso.*) Si quis aldium alienum aut servum ministrialem oculum excusserit, medietatem pretii ipsius quod adpretiatum fuerit si eum occidissit ei conponat.

82. (*De nasum absciṣum.*) Si quis aldium alienum aut servum ministerialem nasum absciderit, conponat solidos octo, excepto operas et mercedis medici.

83. (*De aure abscisa.*) Si quis aldium alienum aut servum ministeriale aurem absciderit, conponat solidos duos, excepto operas et mercedis medici.

84. (*De labro abciso.*) Si quis aldium alienum aut servum ministerialem labrum absciderit ut dentis apparcant, conponat solidos sex, excepto operas et mercedis medici.

85. (*De dentis excussus.*) Si quis aldium alienum aut servum ministerialem dentem excusserit unum aut plures in riso apparentes, pro unum dentem conponat solidos quattuor; si plures fuerunt, per hoc nomiro conponantur.

86. (*De maxillares.*) Si quis aldio alieno aut servo ministeriali maxillaris dentis excusserit, per unum maxillare conponat solidos duo; si vero plures fuerent, per hoc nomiro conponantur.

87. (*De brachium ruptum.*) Si quis aldium alienum aut servum ministerialem brachium ruperit, conponat solidos sex, excepto operas et mercedis medici.

88. (*De mano abscisa*) Si quis aldius alieno aut servus ministeriales manum absciderit, medietatem pretii ipsius ei conponat.

89. (*De digita manus.*) Si quis aldium alienum aut servum ministerialem policem de manu excusserit, conponat solidos octo, excepto operas et mercedis medici.

90. Si secundo digito de manu excusserit, conponat solidos sex.

91. Si tertium digitum de manu excusserit, quod est medianum, conponat solidos duo.

92. Si quartum digitum de manu excusserit, conponat solidos duo.

93 Si quintum digitum de manu excusserit, conponat solidos quattuor.

94. (*De coxa rupta.*) Si quis aldium alienum aut servum ministerialem coxa ruperit aut tivia, conponat solidos tres, excepto operas et mercedis medici.

95. (*De pede absciso.*) Si quis aldium alienum aut servum ministerialem pedem absciderit, medietatem pretii ipsius ei conponat, excepto operas et mercedis medici.

96. (*De digita pedum.*) Si quis aldium alienum aut servum ministerialem policem de pede excusserit, conponat solidos quattuor, excepto operas et mercedis medici.

97. Si secundum digitum de pede excusserit, conponat solidos duos.

98. Si tertium digitum de pede excusserit, conponat solidos duos.

99. Si quarto digito de pede excusserit, conponat solido uno.

100. Si quintum digitum de pede excusserit, conponat solido uno.

101. (*De plaga intra capso.*) Si quis aldium alienum aut servum ministerialem plagam intra capso aut sagitta injecta aut con qualevit arma fecerit, conponat solidos sex, excepto operas et mercedis medici.

102. (*De brachio aut coxa transforata.*) Si quis aldium alienum aut servum ministerialem brachium aut coxa transforaverit, conponat solidos tres, excepto operas et mercedis medici; et si sic plagaverit et non pertunderit, conponat solido unum.

103. (*De servus rusticanus.*) Si quis servum alienum rusticano plagam in caput fecerit ut cutiga tantum rumpatur, pro unam plagam dit solidum unum; pro duas dit solidos duos, excepto operas et mercedis medici: si amplius plagas capetis fuerint, non nomirentur. Si autem ossa ruperit unum aut plures, conponat solidos tres; amplius non nomirentur.

104. (*De plaga in facia.*) Si quis servum alienum rusticanum plaga in facia fecerit, conponat solidum unum.

105. (*De oculo evulso.*) Si quis servum alienum rusticanum oculum excusserit, medietatem pretii ipsius quod adpretiatus fuerit si eum occidissit domino ejus conponat.

106. (*De naso absciso.*) Si quis servum alienum rusticanum nasum absciderit, conponat solidos quattuor, excepto operas et mercedis medici.

107. Si quis servum alienum rusticanum aurem absciderit, conponat solidum unum, excepto operas et mercedis medici.

108. (*De labro absciso.*) Si quis servum alienum rusticanum labrum absciderit ut dentis appareant, conponat solidos tres.

109. (*De dentes.*) Si quis servum alienum rusticanum dentem excusserit qui in riso apparit, conponat pro unum dentem solidos duo, pro maxillares vero solido uno; si autem amplius fuerint, per hoc nomiro conponatur.

110. (*De brachio aut coxa transforata.*) Si quis servum alienum rusticanum brachium aut coxa transforaverit, conponat solidos duos; si autem plagaverit et non transforaferit, conponat solido uno, excepto operas et mercedis medici.

111. (*De plaga quae intra capso fiet.*) Si quis servum alienum rusticanum intra capso plagaverit, conponat solidos quattuor, excepto operas et mercedis medici.

112. (*De brachio, coxa aut tibia rupta.*) Si quis servum alienum rusticanum brachio, coxa seu tibia ruperit, conponat solidos tres, excepto operas et mercedis medici. Et si de ipsa ruptura intra annis spatio sanus factus non fuerit et ad pristinam non redierit sanitatem, quartam partem quod ipse valuerit domino ejus conponat.

113. (*De manum abcisam.*) Si quis servum alienum rusticanum manum absciderit, medietatem pretii ipsius domino ejus conponat.

114. (*De digita manus.*) Si quis servum alienum rusticanum policem de manu excusserit, conponat solidos IIII.

115. Si secundum digitum de manu excusserit, conponat solidos III.

116. Si tertium digitum de manu excusserit, conponat solidum unum.

117. Si quartum digitum de manu excusserit, conponat solidum unum.

118. Si quintum digitum de manu excusserit, conponat solidos II: excepto operas et mercedis medici.

119. (*De pede servo rusticano absciso.*) Si quis servum alienum rusticanum pedem absciderit, medietatem pretii ipsius conponat ut supra.

120. (*De digita pedum.*) Si quis servum alienum rusticanum policem de pede excusserit, conpanat solidos II.

121. Si secundum digitum de pede excusserit, conponat solido uno.

122. Si tertio digito de pede excusserit, conponat solido uno.

123. Si quarto digito de pede excusserit, conponat solido medio.

124. Si quintum digitum pedis excusserit, conponat solido medio.

125. (*De servo rusticano battudo.*) Si quis servum alienum rusticanum percusserit, pro unam feritam, id est pluslai, si vulnus aut libor apparuerit, conponat solido medio; si vero usque quattuor feritas fuerit, conponat solidos duo; amplius si fuerit, non nomiretur.

126. (*Si membrum sideratum fuerit.*) Si de plagas aut feritas superius seriptas aldii, aut servi ministeriales, seu servi rus-

ticani, atque aldias, aut ancillas, manus aut pedis vel quolevit membrum qui plagatus aut percussus est sideratum fuerit, et non perexcusserit, simili modo conponatur tamquam si eum perexcussissit.

127. Omnes vero plagas aut feritas tam de aldius quam et de servus ministeriales seu servi rustigani atque aldias aut ancillas, que inter eos eveneret, per hoc tinore sicut superius scriptum est finiatur. Si autem exinde aliquas dubietas fuerit quod evadere aut citius sanare non possit, tunc medietatem pretii de plaga quod arbitrata fuerit dominus accipiat: reliqua vero medietas suspendatur, dum usque cognuscitur si intra anni spatium potest de ipsis plagis evadere. Si evaserit, quod reliquum est conpleatur: si autem de ipsas plagas mortuos fuerit intra anni spatium, sicut subter adnexum est ita domino conponatur, et que pro plagam acceptum est in ipsa summa conpositiones mortui repotetur.

128. (*De eo qui plagas fecerit.*) Qui plagas fecerit ipse querat medico: et si neclexerit, tunc ille qui plagatus est aut dominus ejus inveniat medicum. Et ille qui caput rumpit aut suprascriptas plagas fecit, et operas reddat, et mercedis medici persolvat, quantum per doctus homenis arbitratum fuerit.

129. (*De aldio occiso.*) Si quis aldium alienum occiderit, conponat solidos sexagenta.

130. (*De servo ministeriale occiso.*) Si quis servum alienum ministerialem probatum ut subra aut doctum occiserit, conponat solidos quinquagenta.

131. De alio vero ministeriale qui secundus ei invenitur, tamen nomen ministerialem habeat, si quis occiderit, conponat solidos viginti et quinque.

132. (*De servo massario occiso.*) Si quis servum alienum massarium occiserit, conponat solidos viginti.

133. (*De bovulco occiso.*) Si quis servum alienum bovulco de sala occiderit, conponat soledus viginti.

134. (*De servo rustigano qui sub massario est.*) Si quis servum alienum rustiganum qui sub massario est occiserit, conponat solidos sedecem.

135. (*De pastores porcarios occisus.*) Si quis porcarium alienum occiserit, magestrum tamen illum, qui sub se discipolus havit duo aut tres aut amplius, conponat solidos quinquagenta; de inferioris autem porcarius si quis occiderit, conponat solidos vigenti et quinque.

136. De pecorario, caprario seo armentario occiso, magistro tamen, si quis occiderit, conponat solidos viginti; pro discipolus autem qui sequentes sunt si quis occiderit, conponat solidos sedicem. De illos vero pastores dicimus, qui ad liberos homines serviunt, et de sala propria exeunt.

137. (*Si infans parvus de massario occisus fuerit.*) Si quis infantem parvolo de servo massario casu facientem occiderit, arbitretur a judice secundum qualem aetatem habuit aut qualem lucrum facere potebat, ita conponatur.

138. (*De arbore communiter inciso hominem quem occiserit.*) Si duo aut tres aut plures homines arborem unum inciserent, et alium hominem supervenientem et ex ipsum arborem occiderent, aut quodlibit damnum fecerent: tunc incidentes arborem quanticumque fuerent ipsum humicidium aut damnum pariter conponant. Et si casu faciente ab ipso arbore aliquis ex ipsis qui incidunt mortuus fuerit, si duo fuerent collegantes, medietas pretii repotetur illi mortui, et medietatem reddat parentibus collega ipsius; et si plures fuerent, idem modo portio una repotetur illi mortui, et quanticumque fuerent vivi reddant simul summa pretii, cessante faida, ideo quia nolendo fecerunt.

139. (*De venenum temperatum.*) Si quis homo liber aut mulier venenum temperaverit et alii ad bevendum dare voluerit, conponat solidos viginti, sicut ille qui de morte alterius consiliatus fuerit.

140. Si liber aut libera venenum alii dederit ad bevendum, et qui acceperit ex ipsum venenum mortuos non fuerit, conponat qui venenum dedit medietatem pretii ipsius quod adpretiatus fuerit si eum occidissit.

141. Si quis venenum ad bevendum dederit, et qui acceperit mortuus fuerit, pretium mortui secundum qualitatem persone in integrum conponat.

142. Si servus aut ancilla venenum alicui dederit, et ille qui accepit mortuos non fuerit, conponat dominus servi vel ancille medietatem pretii quod ipse valuerit qui accepit; et per omnia ipse servus vel ancilla in ipsa conpositione, pro quantus adpretiatus fuerit, ad occidendum tradatur. Et si mortuos fuerit qui accepit, tunc dominus servi vel ancille ipsum hominem in integrum conponat; sic tamen ut servus aut ancilla in ipsa conpositione, pro quanti adpretiatus fuerit, ad occidendum tradatur, et nulla sit redemptio aut excusatio mortis servi vel ancille.

143. (*De eo qui post accepta conpositione se revindigaverit.*) Si homo occisus fuerit liber aut servus, et pro humicidio ipso conpositio facta fuerit, et pro ampotandam inimicitia sagramenta prestita, et postea contegerit ut ille qui conpositionem accepit revindigandi causam occiderit hominem de partem que conpositionem accepit: jubemus ut in dublum reddat ipsam conpositionem iterum parentibus aut domino servi. Simili modo et de plagas aut feritas, qui post accepta conpositionem se vindicare tentaverit, in dublum quod accepit restituat, excepto si hominem occiderit conponatur ut supra.

144. (*De magistros comacinos.*) Si magister comacinus cum collegantes suos cujuscumque domum restaurandam vel fabrigandam super se, placito finito de mercede, susceperit, et contegerit aliquem per ipsam domum, aut materium elapsum aut lapidem, mori: non requiratur a domino cujus domum fuerit, nisi magister comacinus cum consortibus suis ipsum humicidium aut damnum conponat; quia postquam in fabola firma de mercedis pro suum logrum suscipit, non inmerito damno susteneat.

145. (*De rogatos aut conductos magistros.*) Si quis magistros comacinos unum aut plures rogaverit aut conduxerit ad opera dictandi, aut solacium diurnum prestandum inter servus suos, domum aut casam faciendam, et contegerit per ipsam casam aliquem ex ipsos comacinus mori, non requiratur ab ipsum cujus casa est. Nam si cadens arbor aut lapis ex ipsam fabrigam occiderit aliquem extraneum aut quodlebit damnum fecerit, non repotetur culpam magistri, sed ille qui conduxit ipse damnum susteneat.

146. (*De incendio.*) Si quis casam alienam asto animo, quod est volontarie, incenderit, in treblum restituat ea, quod est sibi tertiam, sub extimationem pretii, cum omnem intrinsecus quidquid intus crematus fuerit, que vicini bone fidei homenis adpraetiaverent, restaurit. Et si aliqua de intrinsecus domui orta fuerit intentio, tunc ille qui damnum pertulit juratus dicat quantum in eadem casa perdedit, et omnia, ut dictum est, in treblum ei restituatur ab illo, qui volontariae hujus mali penetravit.

147. (*De fogum foris novem pedis a fogolarem portatum.*) Si quis focum foris novem pedis a focolare portaverit, et damnum ex ipsum focum sibi aut alterius factum fuerit, ipse, qui portavit, damnum conponat ferquido, id est semilem, ideo quia nolens fecit; et si intra ipsos novem pedis, quod est

de fogolarem, damnum fecerit sibi aut alterius contegerit; non ei requiratur.

148. Si quis fogum foris in itinere fecerit, antequam egrediatur extinguat eum, et non neclegenter dimittat; nam si contegerit post egressum ipsius alicui ex ipsum focum damnum aut lesionem fecerit, ipse qui focum fecerit, aut neclegenter dimisit, damnum sicut arbitratum fuerit, caput tantum, conponat: sic tamen ut post relictum foco qua ora eum reliquerit usque ad aliam talem ora diei aut noctis conpotetur, quod sunt oras vigenti et quattuor. Nam si contegerit transire ipso foco super publica via aut ribo, damnum si fecerit, non ei requiratur qui focum dimisit.

149. (*De molino inciso.*) Si quis molinum alterius asto incenderit, id est volontariae, in treblom eum restituat sub estimationem rei, cum omnia que intus cremata sunt.

150. Si quis molinum alterius capelaverit aut sclusa ruperit sine auctoritate judecis, conponat solidus duodicem illi, cujus molinus esse invenitur. Et si judicem interpellaverit, et judex dilataverit ipsa causa deliberare, aut licentiam dederit averse parti ipsum molinum evertendi, conponat solidos vigenti in palatio regis districtus ab stolesazo.

151. Si quis molinum in terram alienam aedificaverit, et sua provare non potuerit, amittat molinum et omnem operam suam, et ille habeat cujus terra aut ripa esse invenitur; quia omnes scire debent quod suum non alienum est.

152. (*Si operarius ab alio rogatus in opera mortuus fuerit.*) Si quis operarius rogaverit aut conduxerit in opera, et caso facientem contegerit ex ipsis aut in aqua mori, aut a fulmine percuti, aut a vento arborem movito aut propria morte mori, non requiratur ab eo qui conduxit aut rogavit; tantum est ut per ipsius factum qui conduxit aut ab hominibus ejus non moriatur. Et si a quecumque unus horum occisus fuerit aut lesus, ipse conponat qui eum occiserit aut leserit.

INCIPIT DE FILIIS LEGITIMIS.

153. (*De grados cugnationum.*) Omnes parentilla usque in septimum geniculum nomeretur, ut parens parenti per gradum et parentilla heris succedat; sic tamen ut ille qui succedere vult nominatim unicuique nomina parentum antecessorum suorum

dicat. Et si intentio fuerit contra curtis regis, tunc ille qui querit preveat sagramentum cum legitimus sagramentalis suos; dicant per ordinem quod *Parentilla nostra sic fuit, et illi sic nobis fuerunt parentes quomodo nos dicimus.*

154. (*De filius legitimus et naturalis.*) Si quis dereliquerit filium legitimum unum, quod est fulfurn, et filius naturalis unum aut plures, filius legitimus tollat duas portiones de patris substantia, naturalis tertia; si duo fuerent legitimi, habeant naturaiis quintam partem quanticumque fuerent; si tres fuerent legitimi, habeant naturalis septimam partem; si quattuor fuerent legetimi, habeant naturales nonam partem; si quinque fuerent legetimi, habeant naturalis undecimam partem; si sex fuerent legitimi, habeant naturalis tertiamdecimam partem; si septem fuerent legitimi, habeant naturalis quintadecimam partem: si autem plures fuerent, per hoc nomiro dividantur patris substantia.

155. Nulli sit licentia naturales filius aequales aut consemelis facere legetimis filiis, nisi si filii legetimi post conpletam legetimam aetatem patri consenserit. Legitimam aetas est postquam filii duodicem annus habuerent.

156. De filio naturale qui de ancilla alterius natus fuerit, si pater conparaverit eum et liberum thingaverit, libertas illi permaneat; et si non liberaverit eum, sit servus cujus et mater ancilla. Nam si eum conparaverit, et aliquid de res ei per legem thingaverit, habeat ipsas res.

157. De eo qui de filio naturale generatus fuerit, quod est threus, heres non fiat, nisi ei thingatum fuerit per legem; et si thingatus non fuerit aliquit de res, tamen libertas illi permaneat.

158. Si quis dereliquerit filiam legitimam unam, et filium naturalem unum aut plures, et alios parentes proximos aut heredis, aequaliter dividant substantiam defuncti, id est in tres partis: filia legitima accipiat uncias quattuor, quod est tertia pars; naturales filii unus aut plures uncias quattuor, quod est tertia pars; et parentis proximi aut heredis uncias quattuor, id est tertiam pars: et si parentes proximi non fuerent, tunc curtis regias suscipiat ipsas quattuor uncias.

159. Si quis dereliquerit filias legitimas duas aut pluris, et filius naturalis unum aut plures, et alios parentis proximos ut supra, illas filias tollant uncias sex, quod est medietas; naturalis filii uncias quattuor, quod est tertia pars; et parentis le-

gitimi uncias duas, quod est sexta pars: et si parentis non fuerent, curtis regia ipsas duas uncias suscipiat.

160. Si quis dereliquerit filias legitimas unam aut plures, et sorores legetimas unam aut plures, et filius naturalis unum aut plures, tollant filiae et sorores inter se aequaliter dividendum uncias sex, quod est medietas; naturalis filii uncias quattuor, quod est tertiam pars; et duas uncias parentis legitimi, aut curtis regia si parentis legitimi non fuerent, quod est sextam pars. Pro mundio autem suprascriptarum tollant naturalis filii tertiam partem, et heredis legetimi aut curtis regi partis duas.

161. (*De mundio inter legitimos et naturales.*) Si fuerint filii legitimi et filii naturalis, et sorores tam legitimas quam naturalis, pro mundio earum tollant legitimi filii partes duas, naturalis vero partem tertiam.

162. Si fuerent filii legetimi et naturalis duo aut plures, et contegerit casus ut unus ex naturalis occisus fuerit, tollant legitimi fratres pro conpositione illius partes duas, naturalis vero qui remanserint partem tertiam; facultas vero illius mortui ad legitimum fratrem revertatur, nam non ad naturalis. Ideo ita praevidimus, propter faida deponenda, id est inimicitia pacificanda.

163. Si quis in morte parentibus suis insidiatus fuerit, id est si frater in morte fratri suo, aut barbanes, quod est patruis, seu consubrini insidiatus aut consiliatus fuerit, et ille cui insidiatur filius non dereliquerit, non sit illi heredis, cujus de anima tractavit, nisi alii parentes proximus; et si parentes proximus aut legitimus non habuerit, tunc illi curtis regia succedat. De animam autem illius humicide sit in potestatem regis judicare quod illi placuerit. Res vero quas humicida reliquid, parentis proximi et legetimi habeant; et si parentes proximi non fuerent, tunc res ipsius curtis regia socientur.

164. (*Si quis de alio dixerit quod de adulterio natus sit.*) Si quis ex parentibus, id est barbas, quod est patruus, aut quicumque ex proximis, dixerit de nepote suo aut consoprino doloso animo, quod de adulterio natus sit, nam non de certo patre: tunc ille cui crimen mittitur querat sibi liberos homines sacramentales, et praebeat sacramentum quod filius legitimus sit, et per lege res ipsas ad eum perteneat, nec alteri eas per legem dimittere debeat. Si hoc fecerit, habeat et fruatur: quia grave et impium vedetur esse, ut tales causa sub uno scutum per pugnam dimittatur.

165. Si quis dixerit de oxorem alienam, quod mundius ad ipsum perteneat, nam non ad maritum, tunc ille qui eam habit oxorem preveat sagramentum cum legetemos sagramentales suos duodicem, quod de certo domino mundium ipsius fecissit, et non eum alteri per legem dimittere deveat. Si hoc fecerit, habeat et fruatur; quia injustum vedetur esse, ut tam grandem causam sub unum scutum per pugna dimittatur.

166. (*De suspitione in maritum quod oxorem suam occidissit.*) Si suspectus fuerit quod maritus uxorem suam occidissit, ita discernimus, ut purificet se maritus cum sagramentales suos legitimus, quod mixtos in morte ipsius mulieris non fuissit, nec per se nec per subposita persona: et sit exsolutus ab hoc crimen; quia absordum et impium vedetur esse, ut tales causas sub unum scutum per pugnam dimittatur.

167. (*De fratres qui in casam communem remanserent.*) Si fratres post mortem patris in casa commune remanserint, et unus ex ipsis in obsequium regis aut judicis aliquas res adquesiverit serviendum, habeat sibi in antea absque portionem fratrum. Et qui foras in exercitum aliquit adquisiverit, communem sit fratribus quod in casa commune dimiserit. Et si quis ex suprascriptis fratribus gairethinx fecerit, habeat in antea cui factum fuerit. Et qui ex ipsis oxorem duxerit, et de rebus communes meta data fuerit: quando alteri quidem oxorem tollere contigerit, aut quando ad divisionem faciendam venerit, simili modo de cumune rebus refundatur ei alio tantum, quantum frater in meta dedit. De paterna autem vel materna substantia quod relicum fuerit, inter se aequaliter dividant.

168. (*De exereditatione filiorum.*) Nulli leciat sine certas culpas filium suum exereditare, nec quod ei per lege debetur alii thingare

169. (*De justas culpas.*) Justas autem culpas has esse dicemus exhereditandi filium: si filius contra animam aut sanguinis patri insidiatus aut consiliatus fuerit, aut si patrem percusserit volontariae, aut si cum matrinia sua, id est nobercam, peccaverit, juste a patre exheredidetur.

170. Item sicut nec patribus licitum est filium suum sine justam causam aut culpa exhereditare, ita nec filius leceat vivo patre cuicumque res suas thingare, aut per quodlevit titulum alienare; nisi forte filius aut filias legitimas aut filius naturalis reliquerit, ut ipsis secundum legem conservit.

171. Si quis se disperaverit aut propter senectutem aut propter aliquam infirmitatem corporis filius non possit habere, et res suas alii thingaverit, posteaque eum contegerit filius legitimus procreare: omne thinx, quod est donatio, quod prius fecerat, rumpatur, et filii legitimi unum aut plures, qui postea nati fuerent, heredis in omnibus patri succedant. Si autem filias legitimas una aut plures, seu filios naturales unum aut plures post thinx factum habuerit, habeant et ipsi legem suam, sicut superius constitutum est, tamquam si nihil alii thingatum fuissit; et ille cui thingatum est tantum habeat, quantum alii parentis proximi debuerunt habere aut curtis regia suscipere si alii thingatum non fuissit.

172. *(De thinx, quod est donatio.)* Si quis res suas alii thingare voluerit, non absconse sed ante liberos homines ipsum gairethinx faciat, quatinus qui thingat et qui gisel fuerit liberi sint, ut nulla in posterum oriatur intentio.

173. Si quis res suas thingaverit, et dixerit in ipso thinx lide laib, id est quod in diae obitus sui reliquerit, non dispergat res ipsas postea doloso animo, nisi fruatur eas cum rationem. Et si talis ei evenerit necessitas, ut terra cum mancipia aut sine mancipia vindere aut locum pigneris ponere debeat, dicat prius illi cui thingavit: *Ecce vedis, quia necessitate conpulsus res istas vado dare; si tibi vedetur, subveni mihi, et res istas conservo in tua potestatem.* Tunc si noluerit ei subvenire, quod alii dederit sit illi stabilem et firmum qui acceperit.

174. *(De thinx primus factum.)* Non leciat donatori ipsum thinx quod antea fecit iterum in alium hominem transmigrare; tantum est ut ille qui gairethinx susceperit tales culpas non faciat donatori suo, quales solent ingrati filii parentibus suis facere per quas exhereditantur, que in hoc Edictum scripte sunt. Ipse autem qui gairethinx susceperit ab alio, quidquid dereliquerit donator in diem obidus sui habeat licentiam in suum dominium recollegere, et devitum creditoribus reddere et ab aliis exegere, et quod in fiduciae nexum positum est reddat devitum, et requirat rem in fiduciae nexu posita.

175. *(De launegild.)* Si quis res suas cuicumque donaverit, et postea qui donavit launegild requisiverit, tunc ille qui accepit aut heredis ejus, si ausus non fuerit jurare quod conpositum sit, reddat ei ferquido, id est semilem, qualis in diem illam fuit quando donatum est; et si juraverit, sit exsolutus.

176. (*De lebroso.*) Si quis lebrosus effectus fuerit, et cognitum judici vel populo certa rei veritas, et expulsus foris a civitatem vel casam suam, ita ut solus inhabitit, non sit ei licentia res suas alienare aut thingare cuilevit persone; quia in eadem diae quando a domo expulsus est, tamquam mortuus habetur. Tamen dum advixerit, de rebus quas reliquerit pro mercedis intuitu nutriatur.

177. (*De homine libero, ut liceat cum fara sua migrare.*) Si quis liber homo potestatem habeat intra dominium regni nostri cum fara sua megrare ubi voluerit, sic tamen si ei a rege data fuerit licentia; et si aliquas res ei dox aut quicumque liber homo donavit, et noluerit cum eum permanere vel cum heredis ipsius, res ipsas ad donatore vel heredis ejus revertantur.

178. (*De sponsalibus et nuptiis.*) Si quis sponsaverit puellam liberam aut mulierem, et post sponsalia facta et fabola firmatam duos annos neclexerit eam tollere, et dilataverit nuptias exsequi, post transactum biennium potestatem habeat pater aut frater, vel qui mundium ejus potestatem habit, distringere fidejussorem, quatinus adimpleat metam illam quae in diae sposaliciorum promisit. Postea leceat eos ad maritum alii dare, libero tamen; et meta quae exacta fuerit sit in potestatem puellae aut mulieris, eo quod sponsus intra prefenitum tempus oxorem accepere neclexit aut si volontariae dilatavit, excepto inevitavelem causa.

179. Si dixerit sponsus de sponsa sua quod adulterassit postquam eam spunsatam habuit, leceat parentibus eam purificare cum duodicem sagramentalibus; tunc post purifigatam, accipiat ea sponsus sicut in priori fabula stetit. Et si postquam purifigatam fuerit ea tollere oxorem neclexerit, sit culpavelis sponsus dublam metam quantum dictum est in diae illa, quando favola firmata fuit. Et si parentis, ut dictum est, eam mundare non potuerit de ipso crimen, tunc sponsus recipiat res suas quas dedit, et illa patiatur pena adulterii, sicut in hoc Edictum constitutum est.

180. (*Si puella sponsata lebrosa apparuerit.*) Si contegerit, postquam puellam aut mulier sponsatam fuerit, lebrosa aut demoniaga aut de ambos oculos excegata apparuerit, tunc sponsus recipiat res suas, et non conpellatur ipsam invitus tollere oxorem, nec pro hac causa calomnietur; quia non suum neclictum dimisit, sed peccatum eminentem et egretutinem supervenientem.

181. (*De nuptiis*) Si pater filiam suam aut frater sororem legetimam alii ad maritum dederit, in hoc sibi sit contempta de patri vel de matri substantia, quantum ei pater aut frater in diae traditionis nuptiarum dederit, nam amplius non requiratur.

182. (*De viduam, qualem habeat licentiam.*) Si quis filiam suam aut qualevit parentem in conjugio alii dederit, et contegerit casus ut ille maritus moriatur, potestatem habeat illa vedua, si voluerit, ad alium maritum ambolandi, libero tamen. Secundus autem maritus, qui eam tollere disponit, de suis propriis rebus medietatem pretii, quantum dictum est quando eam primus maritus spunsavit, pro ipsa meta dare deveat ei qui heredis proximus mariti priori esse invenitur. Et si noluerit accepere, habeat ipsa mulier morgincap, et quod de parentes adduxit, id est faderfio. Parentis vero ejus potestatem habeant eam dandi ad alium maritum, ubi ipsi et illa voluerent; et mundium ejus prioris mariti parentes non habeant, pro eo quod ei denegaverunt volontatem suam: ideo redeat mundium ejus ad proximus parentes, qui prius eam ad maritum dederunt; et si parentis non fuerint legetimi, tunc mundius ille ad curtis regi perteneat. Et si talis fuerit mulier, quae maritum non velle aut non possit habere, sit in potestatem illius, ad quem mundius de eam pertenit: et si ipsi eam male habuerit aut tractaverit, et provatur, tunc leceat eam ad parentis suos reverti; et si parentis non habuerit, tunc ad curtis regis habeat refugium, et mundium ejus sit in potestatem regis.

183. (*De traditione puellae aut mulieris*) Si quis pro liberam mulierem aut puellam mundio dederit, et convenit ut ei tradatur ad oxorem, posteaque contegerit, marito mortuo, ut ipsa mulier ad alium maritum debeat ambolare, aut ad parentes reverti aut ad curtem regis: tunc heredis mariti prioris accepiant medietatem de meta, sicut supra constitutum est, et ipsa per mano simili modo retradatur, sicut priori marito tradita fuit; nam aliter sine traditione nulla rerum dicimus subsistere firmitatem.

184. (*De exenio nuptiali.*) Si quando pater filiam suam aut frater sororem alii ad oxorem tradederit, et aliqui ex amicis accepto exenio ipsius mulieris aliquit dederit, in ipsius sit potestatem qui mundium de ea fecit; eo quod maritus, si launechild requisitum fuerit, ipse devit persolvi.

185. (*De incestas et inlecitas nuptias.*) Nulli leceat novercam suam, id est matriniam, qui fuit uxor patri, neque privignam,

id est filiastra, neque cugnata, qui fuit oxor fratris, oxorem ducere; et si ipsam consenserit, vir qui eam ducit conponat pro culpam in curte regis solidos centum, et mox separetur ab ea constrictus a rege, et ipsa mulier habeat medíetatem de omnes res suas, et medietatem amittat, et curtis regia suscipiat. Eo quod inlecitas consenserunt celebrare nuptias haec pena susteneat, et mox, ut dictum est, separetur.

186. Si vir mulieri violentia fecerit, et invitam eam tolerit ad oxorem, sit culpavelis solidos DCCCC, medietatem regi, et mediaetatem parentibus mulieris; et si parentis non habuerit, ipsi nungenti solidi a curtis regi exegantur; et mulier ipsam licentiam habeat cum omnes res suas proprias que ei per lege conpetent, elegendo qui mundium ejus in potestatem debeat habere, vult a patre, si habuerit, vult ad fratres, vult ad barbanes, vult ad manum regia, in ipsius mulieris sit potestatem ubi sibi ipsa elegerit.

187. *De violentia mulieris libere.*) Si quis violento nomine tolerit oxorem, conponat ut supra, et postea mundium ejus faciat. Nam si contegerit casus, ut antequam mundium fecerit mortua fuerit, res ejus parentibus reddatur, et ille vir qui eam violento ordine tulerit oxorem conponat eam mortua, tamquam vero de simile sanguinem, id est si frater ejus occidissit, ita adpraetietur, et ad parentibus pro mortua conponere cogatur, aut cui mundius de ea pertenuerit.

188. Si puella libera aut vedua sine voluntatem parentum ad maritum ambolaverit, libero tamen, tunc maritus qui eam accepit oxorem conponat anagrip solidos xx, et propter faida alios vigenti. Et si contegerit eam antea mori quam mundium ejus faciat, res ipsius mulieris ad eum revertantur qui mundium ejus in potestatem habit, nam amplius calomnia praesumptori non generentur. Ideo perdat maritus res mulieris, eo quod mundio facere neglexit.

189. (*De fornigationis causas.*) Si puellam aut mulier liberam volontariae fornigaverit, cum liber tamen hominem, potestatem habeat parentes in eam dare vindicta. Et si forte ambarum partium steterit, ut ille qui fornigavit eam tollat oxorem, conponat pro culpa, id est anagrip, solidos viginti, et propter faida alios xx; et si non convenerit ut eam habeat oxorem, conponat solidos centum, medietatem regi, et medietatem ad quem mundius de ea pertenuerit. Et si parentis noluerit aut neglexerit in eam dare vindictam, tunc leceat gastaldius regis aut sculdahis ipsam ad manum regis tollere, et judicare de ipsa quod regi placuerit.

190. (*De sponsata alterius.*) Si quis puellam liberam aut vedua alterius spunsata, illa tamen consentiente, tolerit oxorem, conponat parentibus mulieris vel ad quem mundius de ea pertenuerit anagrip solidos viginti et propter faida alius vigenti, et mundius ejus qualiter convenerit faciat. Spunsus autem cujus sponsatam fuit, omnia quae in meta dictum fuit quando eam sposavit in dublum ei conponatur ab illo, qui ei disponsatam suam turpe fecit; et postea spunsus, post acceptam dublam conpositionis penas, sit sibi contemptus, et amplius ex hac causa adversus fidejussorem calomnia non requiratur.

191. (*De rapto spunsatae alterius.*) Si quis puellam aut veduam sponsata alterius rapuerit, sit culpavelis parentibus puelle aut ad quem mundius de ea pertenuerit solidos noninginta, medietatem regi, et medietatem parentibus puelle, id est pater aut frater aut qui proximi sunt, et mundium ejus si convenerit faciat. Spunso autem, in cujus turpe aut in derisiculum egit, conponat dobla meta quantum dictum est in diae illa quando favola firmata fuerat, et amplius fidejussori aut raptori ab ipsum spunsum calomnia non generetur, sed sit sibi contemptus in ipsa dubla conpositionis poena.

192. (*Si parentes de puella sponsa cum alio conludio fecerit.*) Si pater aut frater vel aliquis ex parentibus puellam alii spunsaverit, et postea cum alio extraneo conludium fecerit aut fraudem consenserit cum illum, qui eam aut violenter aut ipsam consentientem duxit oxorem: tunc ipsi parentes, qui hujus conludii fraudis consenserent, conponant sponsum qui eam spunsatam habuit simili poena, ut supra, in dublum meta que dicta fuerat in diae spunsaliorum; et postea spunsus amplius adversus eos aut fidejussorem calomnia non requiratur.

193. Si puella libera foris provincia servum alienum secuta fuerit, requirant eos pariter dominus servi et parentis puelle; et si eos invenerent, ambo poenam juxta legem susteneant: nam culpam a domino cujus servus fuerit non requiratur.

194. Si quis cum ancilla Gentilem fornigatus fuerit, conponat ad dominum ejus solidos viginti; si cum Romana, solidos duodicem conponat.

195. (*De crimen in puellam injecto.*) Si quis mundium de puella libera aut mulierem potestatem habens, excepto pater aut frater, et in animam ipsius puelle aut mulieris insidiatus fuerit, aut alii invitam ad maritum tradere voluerit, aut volentibus ad

ejus violentia faciendam consinsum prebuerit aut consilium dederit, et provatur: amittat mundium ipsius, et illa potestatem habeat de duas vias, vult ad parentes reverti, vult ad curtem regis, cum rebus suis propriis, quae ad eam per legem conpetit, se commendare, qui mundium ejus potestatem debeat habere. Et si vir ille ista crimen negaverit, leceat eum se purifigare, et mundium ejus sicut habuit habere si se purifigaverit.

196. (*De crimen adulterii.*) Si quis mundium de puella livera aut mulierem habens, excepto pater aut frater, et crimen ei injecerit quod adulterasit, amittat mundium ipsius, et illa potestatem habeat cum rebus suis propriis, vult ad parentis reverti, vult ad curtem regis se commendare, qui mundium ejus in potestatem deveat habere. Et si vir ille hoc crimen dixisse negaverit, leceat eum se purifigare si potuerit, et mundium ejus sicut habuit habere.

197. (*De crimen nefando.*) Si quis mundium de puella libera aut mulierem habens, eamque strigam, quod est mascam, clamaverit, excepto pater aut frater, amittat mundium ipsius ut supra, et illa potestatem habeat vult ad parentes, vult ad curtis regi cum rebus suis propriis se comendare, qui mundium ejus debeat habere. Et si vir ille negaverit hoc crimen non dixissit, leceat eum se purificare, et mundium sicut habuit habere si se purificaverit.

198. (*De crimen in puella injectum, qui in alterius mundium est.*) Si quis puellam liberam aut mulierem, qui in alterius mundium est, fornicariam aut strigam clamaverit, et pulsatus penitens manefestaverit per fororem dixissit, tunc preveat sacramentum cum duodicem sacramentalis suos, quod per fororem ipso nefando crimen dixissit, nam non de certam causam cognovissit; tunc pro ipsum vanum inproperii sermonem, quod non convenerat loqui, conponat solidos viginti, et amplius non calomnietur. Nam si perseveraverit, et dixerit se posse provare tunc per camphionis causa ipsa, id est per pugnam, Dei judicio decernatur; et si provatum fuerit, illa sit culpavelis sicut in hoc Edictum legitur: et si ille qui crimen misit provare non potuerit, widrigild ipsius mulieris secundum nationem suam conponere conpellatur.

199. (*Si vedua in domo patris regressa fuerit.*) Si pater filiam aut frater sororem suam ad maritum dederit, et contegerit easus ut ille maritus moriatur, et pater aut frater mundium ejus

liveraverit, sicut supra constitutum est, et illa in domum patris aut fratris regressam fuerit, et alias sorores in casam patris aut fratris invenerit, et postea pater aut frater mortuus fuerit, et illa remanserit in casa cum alias sorores unam aut plures, et a facultatem patris aut fratris venerint dividendam cum alios parentes aut curtis regi: tunc illam veduam, qui in domum patris aut fratris regressa est, habeat sibi in antea morgincap et mephio; de fadarfio autem, id est quantum de alia dona quando ad maritum ambolavit pater aut frater ei dedit, mittatur in confusum, et alias sorores et illa alia soror unam aut plures tollant unamquis in antea tantum, quantum pro mundio pater aut frater liberandum a parentis mariti defuncti dedit. Reliqua patris vel fratris substantia aequa lanciae dividant, sicut in hoc Edictum legitur; et si solam in casam remanserit, in quantum ei per legem conpetit heredis succedat.

200. (*De occisione mulieris.*) Si maritus oxorem suam occiderit inmerentem, quod per legem non sit merita mori, conponat solidos mille ducentos, medietatem illis parentibus qui eam ad maritum dederunt et mundium susceperunt, et medietatem regi, ita ut per actorem regis distringatur, et poenam suprascriptam conponatur. Et si filius de ipsa mulierem habuerit, habeant filii morgincap et faderfio matris suae mortuae; et si filius ex ipsa non habuerit, revertatur ipsa facultas ad parentes qui eam ad maritum dederunt; et si parentes non fuerit, tunc ipsa conpositio et predicta facultas ad curtem regis perveniat.

201. (*De muliere libera occisa.*) Si quis puellam liberam aut mulierem per qualevit occansonem occiserit, conponat solidos mille ducentos, medietatem parentibus aut ad quem mundium de ipsa pertenit, et medietatem regi; et si parentis non habuerit, tunc ipsa conpositio in integrum ad curtis regis perveniat: sic tamen si asto animo, id est volontariae, eum occiserit.

202. Si mulier in morte mariti sui consiliaverit per se aut per subpositam personam, sit in potestatem mariti de ea facere quod voluerit, simul et de res ipsius mulieris. Nam si illa negaverit, leceat parentes eam purificare aut per sacramentum, aut per camphionem, id est per pugna.

203. Si mulier maritum suum occiderit, ipsa occidatur, et res ejus, si filii non fuerint, parentis mariti habeant potestatem.

204. Nulli mulieri libere sub regni nostri dicione legis Langobardorum viventem leceat in suis potestatem arbitrium silp-

mundia vivere, nisi semper sub potestatem virorum aut certe regis deveat permanere, nec aliquid e res moviles aut inmoviles sine volontatem illius in cujus mundium fuerit habeat potestatem donandi aut alienandi.

205. (*De aldia violentiata,*) Si quis aldia alienam, id est qui jam de matre libera nata est, violentia fecerit, conponat solidos quadraginta.

206. (*De liberta violentiata.*) Si quis liberta aliena, id est ipsa persona qui libera dimissa est, violentia fecerit, conponat solidos xx.

207. (*De ancilla violentiata.*) Si quis ancillam alienam violentia fecerit, conponat solidos xx.

208. (*De rapto.*) Si quis rapuerit aldiam alienam et in curtem alterius duxerit, et sequens dominus aut parentis ejus, et cui curtis fuerit antesteterit, et non permiserit vindicare aut foris extrahere, conponat solidos quadragenta, medietatem regi, et medietatem cujus aldia est.

209. (*De ancilla rapta.*) Si quis rapuerit ancillam alienam et in curtem alterius duxerit, et sequens dominus aut parentes ejus et cui curtis est antesteterit, et non permiserit vindicare, conponat qui antestetit solidos viginti, medietatem regi, et medietatem cui ancilla fuerit.

210. (*De rapto qui in curtem regis duxerit.*) Si quis rapuerit aldiam aut ancillam alienam et in curtis regis duxerit, et sequens dominus aut quicumque ex amicis aut servis, et gastaldius aut actor regis antesteterit: pro aldia, de suis propriis rebus conponat illi cujus aldia fuerit solidos xl; pro ancilla, viginti.

211. (*Si quis oxorem alterius tolerit.*) Si liber aut servus oxorem alterius tolerit, eamque sibi in conjogio sociaverit, ambo occidantur, sic tamen si ambo consenserent.

212. (*Si quis cum oxorem suam alium fornigantem invenerit.*) Si quis cum oxorem suam liberum aut servum fornigantem invenerit, potestatem habeat eos ambos occidendi; et si eos occiserit, non requiratur.

213. (*De crimen adulterii.*) Si quis alium de uxorem suam crimen miserit quod cum ea fornicassit, leciat ei cui crimen mittitur aut per sagramentum aut per pugnam se purifigare; et si provatum fuerit, animae suae incurrat periculum.

214. Si quis liberam puellam absque consilium parentum aut volontatem duxerit oxorem, conponat anagrip solidos vigenti,

et propter faida alios xx; de mundium autem qualiter convenerit et lex havet, sic tamen si ambo liberi sunt.

215. (*De sponsata mortua.*) Si quis puellam aut veduam sponsatam habuerit, et contegerit casus ut ipsa antea moriatur quam a patre aut qui mundium ejus potestatem habit tradita fuissit, tunc meta, quae data fuerat ab illo sponso, reddatur ei tantum quantum in ipsa meta dedit; nam alias res illius sit, qui mundium ejus in potestatem habere videtur, eo quod ante traditione mortua est.

216. (*Si aldius uxorem libera tolerit*) Si aldius cujuscumque libera oxorem tolerit, id est fulfreal, et mundium de ea fecerit, et, posteaquam filius habuerit, maritus mortuos fuerit: si mulier in ipsa casa noluerit permanere, et parentes eam ad se recollegere voluerent, reddant praetium quod pro mundio ipsius mulieris datum est illis quibus aldius fuit et mundium ejus fecit; tunc illa absque morgincap aut aliquit de rebus mariti revertatur sibi ad parentes suos cum rebus suis, si aliquid de parentes adduxit. Et si filii de ipsa muliere fuerent, et noluerent in casa patris sedere, res paternas demittant, et mundio pro se reddant quantum pro matrem eorum datum est, et vadant sibi ubi voluerent liberi.

217. (*De aldia qui servum tolerit maritus.*) Si aldia aut liberta in casam alienam ad maritum intraverit et servum tolerit, libertatem suam amittat. Et si dominus neclexerit eam replegare ad servitium, mortuo tamen maritum, vadat sibi unam cum filiis suis, et cum omnes res quantas in tempore quando ad maritum intravit secum adduxit, nam amplius nulla consequatur; vitium suum repotit, qui servum consensit.

218. (*Si aldius aldiam oxorem tolerit.*) Si aldius cujuscumque aldiam aut libertam tolerit oxorem, et filius ex ipso coito habuerint, pater sequantur, sint aldii qualis et pater.

219. Si aldius ancillam suam aut alterius tolerit ad oxorem, filii qui ex ea nascuntur sint servi cujus et mater ancilla.

220. Si ancilla cujuscumque in casam alterius ad maritum intraverit et servum tolerit, nihil de ipsa casa marito mortuo consequantur, nisi quantum secum adduxit.

221. Si servus libera mulierem aut puellam ausus fuerit sibi in conjugio sociare, anime suae incurrat periculum, et illa qui servum fuerit consentiens habeant parentes potestatem eam occidendi aut foris provincia transvendendi, et de rebus ipsius

mulieris faciendi quod voluerit. Et si parentes ejus hoc facere distolerit, tunc leceat gastaldius regis aut sculdahis ipsam in curte regis ducere, et in pisele inter ancillas statuere.

222. (*De ancilla matrimonii gratiata.*) Si quis ancillam suam propriam matrimoniare voluerit ad oxorem, sit ei licentiam; tamen deveat eam libera thingare, sic libera quod est witribora, et legetimam facere per gairethinx. Tunc intellegatur libera, et legetimam oxorem; et filii qui ex ea nati fuerent legetimi heredis patri efficiantur.

223. (*De eo qui sine heredis moritur.*) Si quis sine heredis mortuus fuerit et res ipsius ad curtis regis pervenerit, nec donato nec prestito, quicumque ipsius mortui dedit aut prestetit non habeat ponteficium requirendi; quia postquam ad manum regis pervenit, terminum posuit, et sine devitum aut aliquam repetitionem cecidit.

224. (*De manomissionibus.*) §. 1. Si quis servum suum proprium aut ancillam suam liberos dimittere voluerit, sit licentia qualiter ei placuerit. Nam qui fulfreae et a se extraneum, id est amund, facere voluerit, sic devit facere. Tradat eum primum in manum alteri homenis liberi, et per gairethinx ipsum confirmit; et ille secundus tradat in tertium in eodem modo; et tertius tradat in quartum; et ipse quartus ducat eum in quadrubium, et thingat in gaida et gisil, et sic dicat: *De quattuor vias, ubi volueris ambolare, liberam habeas potestatem.* Si sic factum fuerit, tunc erit amund, et ei manit certa libertas: postea nullam repetitionem patronus adversus ipsum aut filius ejus habeat potestatem requirendi; et si sine heredes legetimus ipse qui amund factus est mortuos fuerit, curtis regia illi succidat, nam non patronus aut heredis patroni.

§. 2. (*Item alio kapitulo.*) Similiter et qui inpans, id est in votum regis, dimittitur, ipsa lege vivat, sicut et qui amund factus est.

§. 3. (*Item alio kapitulo.*) Qui fulfreae fecerit, et quattuor vias ei non dederit, et amund a se, id est extraneum, non fecerit, talem legem patronus cum ipsum habeat, tamquam si cum fratrem suum aut alium parentem suum liberum Langobardum: id est si filius aut filias legetimas qui fulfreae factus est non dimiserit, patronus succedat, sicut subter scriptum est.

§. 4. (*Item alio kapitulo.*) Item qui aldium facere voluerit, non illi dit quattuor vias.

Haec sunt quattuor genera manumissionum. Tamen necesse est, propter futuri temporis memoriam, ut qualibit liberum aut liberam thingaverit, ipsa manumissio in cartola libertatis commemoretur; et si cartolam non fecerit, tamen libertas ei permaneat.

225. (*De filius liberti*) Si libertus qui fulfreae factus est filius dereliquerit legetimos, sint illi heredis; si filias, habeant legem suam: si naturales, habeant et ipsi legem suam: et si casum facientem sine heredis mortuos fuerit, et antea judicaverit se vivo res suas proprias, id est andecawere et arigawere, secundum legem Langobardorum, habeat cui donaverit; nam quantum de res benefactori suo per donum habuit, si eas non oblicavit in libertatem, ad ipsum patronum aut ad heredis ejus revertantur. Et si aliquit in gasindio doces aut privatorum hominum obsequium donum conquisivit, res ad donatorem revertantur. Alias veros res, sicut dictum est, si heredis non dereliquerit, aut se vivo non judicaverit, patronus succedat sicut parenti.

226. Omnes libertis, qui a dominis suis Langobardis libertatem meruerunt, legibus dominorum et benefactoribus vivere deveant, secundum qualiter a dominis suis propriis eis concessum fuerit.

227. (*De emptionibus et vindicionibus.*) Si quis conparaverit terram, id est solum aedificandum aut casa mancipiata, et quinque annos inter presentes personas possederit, posteaque ipse vinditur aut heredis ejus pulsaverent dicendo quod praestetissit, nam non vindedissit: ostendat libellus scriptus ubi rogatus fuissit prestandi. Et si libellus non habuerit, nihil aliut faciat emtor, nisi preveat sagramentum secundum qualitatem peguniae, quod cum praetium suum res ipsas conparassit, nec alteri debeat per legem dimittere; tunc leceat firmiter possedere quod sibi conparavit.

228. (*De possessione.*) Si quis alium de rem mobilem aut inmobilem pulsaverit quod malum ordine possedeat, et possessor negaverit, ita prespeximus, quod si per annos quinque fuerit possessio, tunc ille qui possedit aut per sagramentum debeat negare, aut per pugnam defendere si potuerit.

229. (*Qui rem alienam asto vindederit.*) Si quis rem alienam, id est servo aut ancilla seu alias res, sciens alienas esse, non suas, ubicumque transvindederit, et inventum aut provatum fuerit, in actogild eam restituat; et si per ignorantiam vindederit, tunc preveat sagramentum quod credens suum vindedissit, et reddat caput cum notrimen suum qualiter scit.

230. (*De mancipio lebroso.*) Si quis conparaverit mancipio, et postea lebrosus aut demoniosus apparuerit, tunc vinditor si pulsatus fuerit preveat sagramentum singolus, quod in conscientiam ejus de ipsam infirmitatem non fuissit quando eum vindedit, et amplius non calomnietur.

231. (*De ancilla conparata.*) Si quis conparaverit ancillam alienam, et postea venerit alter homo qui eam suam dicat esse, revertant pariter ad auctorem. Tunc auctor si vindigare non potuerit, preveat sagramentum quod conscius non sit fraudi, nec nullo conludio fecissit, et reddat praecium tantum quantum in diae illa quando eam tradedit accepit, et ancillam ipsam proprio domino restituatur. Et si ancilla ipsa post tempore filius fecerit, tunc ille qui eam prius vindedit, et vindicare non poterit, qualiter scit filius ipsus per suo dispendio reconparit, et proprie domino retradat, quatinus filii matris sequantur. Et si auctor mortuos fuerit sine heredis legetimus, et fagultas ipsius auctori ad curtem regis cecederit, nulla sit repetitio, sic tamen ut dit sagramentum quod de ipsum conparassit, cujus res ad curtem regis ceciderunt.

232. (*De cavallo conparato.*) Si quis cavallum emerit et auctorem ignoraverit, et venerit certus homo qui ipsum cavallum suum dicat, tunc ille qui emit, sicut dixemus, si auctorem non habuerit, nec scit de quem conparassit: preveat sacramentum emptor quia nec fur sit nec colliga furoni, nisi simpleciter cum pretio suo conparassit; et insuper addat in ipso sagramento, si quoquo tempore auctorem inveneril, non negare. Tunc post prestito sagramentum reddat cavallum, et sit sibi contemptus. Ille autem qui se proprius dominus dicit esse, sub tali titulum eum tollat, ut si cognitum fuerit quod malum ordine vindicassit, et alter certus auctor venerit qui suum facere possit ipse cavallus, sibi nonum ei reddantur.

233. (*Si quis de servo conparaverit.*) Servus cujuscumque non liceat sine permissione domini sui neque terram neque mancipia neque qualemcumque rem vindere aut liberum dimittere. Si quis de servo conparaverit, et praetium perdat, et quod de servo emit proprio domino reddatur.

234. (*De servo massario.*) Servus massarius licentiam habeat de piculio suo, id est bove, vacca, cavallo, simul et de minuto peculio, in socio dare aut in socio recepere; vindere autem non, nisi quod pro utilitatem casae ipsius est, quatinus casa proficiat, nam non depereat.

235. (*De aldius.*) Non leciat aldius cujuscumque, qui amund factus non est, sine volontate patrono suo terra aut mancipia vindere, sed neque liberum dimettere.

236. (*De terminus effossus.*) Si quis homo liber terminum anticum exterminaverit, et provatum fuerit, sit culpavelis solidos octugenta, medietatem regi, et medietatem in cujus finem terminum fuerit.

237. (*De servus qui terminum effosserit.*) Si servus alienus terminum anticum exterminaverit, morti incurrat periculum, aut ematur cum quadragenta solidis.

238. (*De arbore signato.*) Si quis homo liber arborem, ubi teclatura inter fines decernindas signata est, inciderit aut delierit, octugenta solidos sit culpavelis, mediaetatem regi, et medietatem cujus arbor fuerit. Et si servum per jussionem domini sui fecerit, dominus conponat, ut supra, solidos LXXX.

239. Si servus sua auctoritatem arbore ubi teclatura facta est inter finis decernendas inciderit, aut moriatur, aut redemat se cum quadragenta solidis.

240. (*De snaida in silva alterius facta.*) Si quis propter intentionem signa nova, id est teclatura aut snaida, in silva fecerit, et sua non adprovaverit, conponat solidos quadragenta, medietatem regi, et medietatem cujus silva fuerit.

241. (*De servo qui snaida fecerit.*) Si servus extra jussionem domini sui teclatura aut snaida fecerit in silvam alterius, manus ei incidatur; et si cum jussionem domini sui fecerit, domino repotetur ut supra.

242. Si quis sine jussionem regis aurum figuraverit aut moneta confixerit, manus ei incidatur.

243. (*De cartola falsa.*) Si quis cartolam falsam scripserit aut quodlevit membranum, manus ei incidantur.

244. Si quis per murum de castro aut civitatem sine noditia judeci sui exierit foras aut intraverit, si liber est, sit culpavelis in curtem regis solidos vigenti; si autem aldius aut servus fuerit, sit culpavelis solidos X in curtem regis. Et si furtum fecerit, sicut in hoc Edictum legitur pene furti conponat.

245. (*De pignerationibus et devitas.*) Si quis devitorem habit, appellit eum semel, bes, et usque tertio; et si devitum non reddederit aut non conposuerit, tunc deveat eum pignerare in his rebus, qui pignerare lecitum est.

246. (*Si quis ante contestationem pigneraberit.*) Si quis alio pro qualibit devitum aut causam pignerare presumpserit ante-

quam tertium eum pulsaverit, pignus quod ante contestationem tolit sibi nonum reformit in potestatem domini.

247. Nulli leciat alio pro alio pignerare, excepto illo qui gafan esse invenitur, id est heredis parens proximior, qui illi ad hereditatem, si casus evenerit, venturus est.

248. Si quis per errore alio pro alio pigneraverit per servum ant ancillam, ita dicernimus, ut postquam cognovit quod male pigneravit, mox ipsum pignum relaxit. Et si pulsatus fuerit a domino servi, tunc preveat sagramentum quia per errorem fecit, nam non asto, et crededit devitorem suum pignerassit, et tunc sit indemnis. Nam si plagas aut feritas fecerit in ipsum pignus, conponat sicut in hoc Edictum legitur. Et si sacramentum dare non presumpserit quod per errore pignerassit, reddat ipsum pignum in actogild.

249. (*De greges aequarum seu porcorum.*) Si quis gregis aequarum seu porcorum sine jussionem regis pigneris nomine abstulerit, ille prior aut moriatur, aut conponat solidos DCCCC, medietatem regis, et medietatem cui pignus abstolerit: et qui cum eum fuerent, si tamen liberi sunt, unusquisque conponat solidos octugenta, medietatem regi, et medietatem quem pigneraverit, ut supra. Et si servi dominum suum secuti fuerent, in conpositione domini repotetur; culpa enim dominus fecit, nam non servus qui dominum suum secutus est.

250. Si quis cavallos domitos aut boves seu vaccas joco domitas pigneraverit sine jussionem regis, sibi nonum redo.

***251.** Si homo liber qui debitor est alias res non habuerit, nisi cavallos domitus aut boves junctorios seu vaccas, tunc ille qui devitum querit vadat ad sculdahis, et intemit causam suam, quia devitor ipsius alias res non habit nisi quae supra leguntur. Tunc sculdahis tollat bobes aut caballos ipsius, et ponat eos post creditorem, dum usque ei justitia faciat; et si sculdahis di-

---

*) 150ª. Si quis alii wadia dederit, et eam recipere neclexerit per fidejussorem, et aput eum remanserit una nocte, aut duae, vel tres, nihil conponat. Si remanserit quarta nocte, conponat solidos duodecim; si remanserit quinta nocte, conponat solidos viginti quattuor; et si remanserit sesta nocte, conponat solidos triginta sex. Et si ille qui eam wadiam acceperit eam reddere neglexerit per fidejussorem, et apud eum remanserit, sic conponat, quomodo ille qui wadiam suam recipere neglexerit.

lataverit facere, sit culpavelis in palatio regis solidos XII: et, justitia facta, pignus restituatur.

252. Nulli leciat pro qualevit devitum casa ordinata tributaria locum pigneris tollere, nisi servus, ancillas, vaccas, pecoras; ita ut ipsum pignus quod tolerit per suam custodiam salvum faciat usque ad prefinitum tempus, sicut supter adnexum est: id est inter eas personas qui intra centum milia intra se habitant, dies vigenti; et si infra istos dies XX quis ille pignum suum, justitiam faciens et devitum reddens, non liberaverit, et post transactos XX dies contegerit ex ipsum pignus mancipius aut quolivit piculium mori, aut humicidium aut damnum facere, aut alivi transmegrare, tunc devitor in suum damnum repotit, qui pignora sua liberare neglexit: nam si infra istos XX dies servus aut ancilla mortui fuerit, aut piculium perierit, aut humicidium aut damnum fecerit, ipse qui pigneraverit in suum damnum repotit, et proprio domino satisfaciat. Et si super centum milia inter se creditor et devitor habitaverit, tunc usque XL dierum spatia pena suprascripta costodiatur.

253. (*De furtis.*) Si liber homo furtum fecerit, et in ipsum furtum temptus fuerit, fegangit sit. Si usque ad decem seliquas furtum fecerit, sibi nonum reddat, et conponat pro tali culpa solidos LXXX, aut anime suae incurrat periculum.

254. Si servus furtum fecerit et tentus in ipsum furtum fuerit usque ad decem seliquas, sibi nonum reddatur, excepto conponat pro culpa solidos XL, aut occidatur.

255. Si quis per proditorem, id est per certum indicatorem, furtum invenerit, sibi nonum qui furtum fecit ei restituat.

256. Si servus dum in fuga est furtum aut damnum fecerit, et in ipsa fuga foris provincia migraverit et non redierit, tunc dominus servi medietatem pro ipsam rem quam furavit aut damnum si fecerit restituat. Nam si recressus fuerit in potestatem domini sui, tunc de quantum tolit, caput tantum, dominus ejus in integrum reddat; cessante in hoc capitulo pena furti, eo quod in fuga fecit.

257. Si mulier libera fulfreae super furtum conprehinsa fuerit, furtum quod fecerit sibi nonum conponat, nam alia culpam non requiratur pro eo quod injuria passa est; sed vitium suum repotit, qui operam indigentem facere temptaverit.

258. Si aldia aut ancilla super furtum tempta fuerit, conponat dominus earum furtum ipsum sibi nonum, excepto pro culpam solidos XL.

259. Si liber homo puerum aut servum suum furtu facere jusserit, et ipse furtus inventus fuerit, sibi nonum conponat, et alterum tantum ad curtem regis persolvat; quia inhonestum esse vedetur et nulli rei convenit rationi, ut homo liber se in furtum debeat misceri aut consensum prevere.

260. Si quis aurum aut vestis seu qualevit rem in viam invenerit, et super geniculum levaverit, et non manefestaverit aut ad judicem non adduxerit, sibi nonum reddat.

261. Si servus dum ancilla aliena habens oxorem furtum fecerit, et ancillam aut filius servus alienus notrierit, omnem furtum quod fecerit servus conponat, nam nihil repotetur in culpam nec in damnositatem ancillae vel filiis ejus. Tantum est si ancilla aut filii simul cum pater ad furtum faciendum non ambolaverit; nam si fecerit, semelis illi efficiantur.

262. Si servus dum in fuga est positus res aliquas cuilevit hominum comendaverit, posteaque proprius dominus requisiverit, et ille qui suscepit denegaverit et postea inventum fuerit, pro furtum eas reddat.

263. Si plures homines furtum in unum fecerent tam liberi quam servi, leceat eos si voluerent se insimul adunare, et furtum ipsum in actogild reddere. Si quis se ex ipsis deviderent, pro se tantum legibus conponat, id est ipsum furtum sibi nonum.

264. Si liber aut servus voluerit foris provincia fugire, et judex, aut quicumque in finis provinciae resedit, eum preserit, teneat eum, et res quas secum detolerit salvas faciat; et mox mandit ad judicem de locum unde fugire cepit, quatinus eum recipiat, et dit pro unum fogacem solidos II, ita ut cum rebus quas secum detolerit reddatur. Et si contegerit eum de legamen fugire, preveat sagramentum ille qui eum tenuit, quod non asto eum laxassit, sed cum tota virtutem costodire voluissit; post datum sacramentum res quas ei tolit reddat, presura autem non querat, et amplius non calomnientur. Et si fugax ille manum ad legandum non dederit, et occisus fuerit, non requiratur, nisi ipsas res reddantur; et si ille qui ipsum fogacem prindere voluerit ab ipso occisus fuerit, nec ipse requiratur.

265. (*De portonario qui super flumen portum custodit.*) Si quis portonarium pulsaverit quod fogacem hominem aut furem transposuissit, et portonarius negaverit, ita dicernimus, ut preveat solus sagramentum quod ad conscientiam ipsius non pervenissit quod fugitibos aut fogaces transposuissit, et sit exsolutus calomnia.

266. Si portonarius furonem hominem sciens transposuerit cum aliquas res fortivas, collegas sit furoni, et ipsum furtum conponat; excepto sit culpavelis in curtem regis solidos xx.

267. Si portunarius mancipia fugitiva sciens transposuerit, si provatum fuerit, perquirat eas, et proprio domino cum rebus quas secum detolerit restituat. Et si ipsi fogaces alibi transmegraverit, ut non inveniatur, tunc portitor ipsa mancipia, simul et res de quantas ausus fuerit jurare qui perdedit, ei ab ipso qui sciens trasposuerit reddantur sub extimationem pretii, excepto pro culpa conponat ipse portitor ad curtem regis solidos xx.

268. Si portonarius hominem liberum fugacem transposuerit, et cognoverit quia fugax est, anime suae incurrat periculum, aut conponat wirigild suo; quia postquam cognovit quod in fugam erat, si eum tenere non potuit, mox innotiscere aut antecurrere debuit.

269. Si mancipios cujuscumque post alium hominem fugierit, et dominus secutus invitaverit in pacem ut reddatur in gratiam, et si in gratiam redditus fuerit, et in ipsa culpa dominus in eum vindictam dederit, conponat solidos xx illi de cujus curtem eum tolit; et si dixerit quod pro ipsam culpam in eum vindictam non dedissit, preveat singolus sagramentum ad evangelia, et sit exolutus.

270. Si quis ille, post quem mancipius alienus fugierit, et noluerit eum post secundam aut tertiam contestationem reddere, tunc constrictus restituat ipsum mancipium, et alium semilem sub extimationem pretii conponat.

271. (*De curtem regis.*) Si mancipius cujuscumque in curtem regis refugium fecerit, et gastaldius aut actor regis ipsum mancipium post secundam aut tertiam contestationem reddere dilataverit; ita jobemus, ut reddat ipsum mancipium, et alium semilem de suis propriis rebus dominum quem dilataverit reddere cogatur. Et si ille qui de curtem regis ipsum in gratia receperit, postea pro ipsa culpa in eum vindictam dederit, conponat in curtem regis unde eum tolit solidos xl.

272. (*De ecclesia.*) Si in ecclesia aut in domum sacerdotis mancipium cujuscumque confugium fecerit, et episcopus aut sacerdus qui in loco ordinatus est eum reddere in gratia post tertiam contestationem dilataverit, ita decernimus, ut reddat ipsum mancipium, et alium semilem de suis propriis rebus, ut supra. Et si in gratiam redditus fuerit, posteaquae dominus in ipsum

vindictam dederit pro ipsa culpa, aut se edoniet ut supra, aut sit culpavelis ecclesiae ipsius solidos XL; ita ut per actorem regis exegantur, et in sagrum altarium ubi injuriam facta est ponantur.

273. Si servus intra provincia in fuga vagatur, et dominus eum invenerit, et servus ipse fugiens in curtem alienam et dominus ejus insequens eum, adprehinsus fuerit, non repotetur culpam domini pro eo quod in curtem alterius, fororem in servum suum habens, rem suam adprehendere visus est. Et si ille cujus curtis fuerit aut aliquis ex hominibus illius mancipium ipsum de manum tolerit aut antesteterit, nullum penitus qui servum sequitur in curtem ipsam scandalum faciat; si fecerit, qualiter in hoc Edictum legitur conponat. Et qui servum antesteterit aut de manum tolerit, in ipsius sit periculum; nam si casum facientem contegerit mancipium ipsum mori aut alibi transmegrare, ipse qui eum de manu domini sui tolerit restituat; et si inventus fuerit, ut reddatur non cogatur dominus post tali fatigationem eum in gratia recipere, nisi si voluerit.

274. Si quis mancipium fugacem in casa sua, nescientem domino, super novem noctes habuerit, et contegerit ipsum mancipium aliquod malum penetrare, aut mori, aut aberrare, ille qui eum suscepit et celavit, aut mendare neglexit, reddat ipsum mancipium aut pretium ejus, et damnum quod fecerit ipse conponat qui eum post se habuit.

275. Si mancipium alienum refugium post alium fecerit, id est infraida, mox mandit domino ipsius quam citius potuerit aut per scriptum aut per certum hominem, quatenus eum in gratia recipiat; et si noluerit eum recipere, et dilataverit, et contegerit eum alibi translatare, nulla culpa illi sit qui eum prius in casa sua suscepit. Nam si susceperit et non mandaverit, reddat ipsum mancipium et damnum cui fecerit, simul et operas.

276. Si quis mancipium sciens fugacem susceperit aut anonam dederit aut viam ostenderit, et mancipius ipse fuga lapsus in antea fugirit, ipse eum perquirat qui anonam dedit aut viam ostendere presumpsit: et si eum non invenerit, reddat pretium mancipii, simul et res quas secum portavit; et si inventum fuerit, reddat ipsum et operas.

277. (*De aistant, id est furorem.*) Si quis in curte aliena irato animo ingressus fuerit, XX solidos illi conponat cui curtem fuerit.

278. (*De oberus, id est curtis rupture.*) Mulier curtis ruptura facere non potest, quod est oberus; absurdum videtur

esse ut mulier libera aut ancilla quasi vir cum armis vim facere possit.

279. (*De concilio rusticanorum.*) Si servi, id est concilium rusticanorum, manu armata in vico intraverint ad malum faciendum, et quicumque liber homo sub regni nostri ditionem positus cum illis in capite fuerit, anime sue incurrat periculum, aut conponat solidos DCCCC, medietatem regi, et medietatem cui injuria inlata fuerit. Servi enim qui cum ipso fuerint in eodem concilio unusquisque XL solidos sit culpabilis, medietatem regi, et medietatem cui supra. Et si liber homo in caput non fuerit, ille prior servus qui eos conduxit moriatur; servi vero reliqui qui cum eo fuerint ex eodem concilio, unusquisque servus XL solidos pro eo conponat, medietatem regi, et medietatem cui injuria facta est.

280. (*De rusticanorum seditionem.*) Si per quacumque causa homines rusticani se collegerint, id est concilios et seditionis facere presumpserint, et cuicumque se anteposuerint, et mancipium aut peculium de manu tullerint quod de casa servi sui dominus tollere voluerit: tunc ille qui in caput ex ipsis rusticis fuerit aut occidatur, aut redimat animam suam quantum adpretiatus fuerit; et unusquisque qui in ipsam seditionem cucurrerit ad malum faciendum, conponat solidos XII, medietatem regi, et medietatem cui injuria fecerit aut se anteponere presumpserit. Et si ille qui rem suam querere aut exegere videtur, ab ipsis rusticis feritas aut plagas habuerit facta, sicut superius statutum est ei conponatur; nam pro presumptione tantum, pena suprascripta patiantur. Et si aliquis ex ipsis rusticis occisus fuerit, non requiratur, quia ille qui eum occisit se defensandum et res suas vindicandum hoc egit.

281. (*De furta et pena fenita.*) Si quis de lignario alterius lignum furaverit, conponat illi cujus lignarius fuerit solidos sex.

282. Si quis de casam erectam lignum quodlevit aut scandolam furaverit, conponat solidos sex.

283. Si quis de lignamen adunatum in curtem aut in platea ad casam faciendam furaverit, conponat solidos sex; si autem in silva dispersum fuerit et furaverit, conponat in actogild.

284. (*De orto.*) Si quis in orto alterius introierit aut salierit ad furtum faciendum, conponat solidos sex; nam si post suam rem ingreditur, et damnum non fecerit, non sit culpavelis.

285. (*De iderzon.*) Si quis sepem alienam ruperit, id est iderzon, conponat solidos sex.

286. (*De axegias.*) Si quis axegias de sepe, id est axegiato, una aut duas tolerit, conponat solido uno.

287. (*De sepe stantaria.*) Si quis de sepe stantaria facta vimen tolerit, conponat solidus unum; si autem pertiga traversaria tolerit, conponat solidus tres.

288. (*De plovum.*) Si quis plovum aut aratrum alienum iniquo animo cappellaverit, conponat solidos tres; et si furaverit, in actogild.

289. (*De tintinno.*) Si quis tintinno de super cavallo aut bovem furaverit, conponat solidus sex.

290. (*De jugum.*) Si quis jocum furaverit, conponat solidus sex.

291. (*De sogas.*) Si quis sogas furaverit de bovis junctorios, conponat solidos sex; et si qualemcumque rem mediogrem, unde sex solidos aut minus in hoc Edicto sunt judicati, fur ipse supertentus fuerit, non sit figangit, nisi tantum conponat sicut constitutum est.

292. (*De vitem uvarum.*) Si quis vitem expoliaverit, id est aminicula tolerit super tres aut quattuor, conponat solidos sex.

293. (*De palo, quod est carracio.*) Si quis palum de vitem tolerit, conponat solidus sex.

294. (*De vitem incisam.*) Si quis vitem de unam fossam asto capelaverit, conponat solido uno.

295. (*De travicem vitis.*) Si quis travicem de vitem inciderit, conponat medio solido.

296. (*De ubas.*) Si quis super tres uvas de vinea alienam tolerit, conponat solidos sex; nam si usque tres tolerit, nulla sit illi culpa.

297. (*De ambolatorias.*) Si quis pastoriam de cavallum alienum tolerit, conponat solidos sex.

298. (*De capistro.*) Si quis capistrum de caput cavalli tolerit, conponat solidus sex.

299. (*De retis.*) Si quis retis alienas aut nassas levaverit, aut in piscaria aliena piscis tolerit, conponat solidos tres.

300. (*De arbores.*) Si quis rovere, aut cerrum, seu quercio quod est modola, hisclo quod est fagia, infra agrum alienum aut culturam seu clausuram vicinos ad vicinum inciderit, con-

ponat per arborem tremissis duos. Nam eterans homo si propter utilitatem suam foris clausuram capelaverit, non sit culpavelis.

301. Si quis castenea, noce, pero aut melum alienum inciderit, conponat solido uno.

330. Si quis ulivo capelaverit aut socciserit, conponat solidos III.

303. Si homo aut quislevit peculius in sepe alterius texta cum vimen se inpegerit, et mortuos aut aliquam lesionem passus fuerit, tunc ille qui sepem ipsam fecit et caput majorem aut minorem de vimen foris dimisit, ipse set culpavelis humicidii aut lesionis.

304. Si cavallus aut quislevit peculius in clausura alterius intus saliendum se inpalaverit, non reddatur ab ipso cujus sepem est; et si ab infra in foris salierit et se inpalaverit, tunc ille cujus sepe esse invenitur eum conponat. Et si intra ipsam clausura damnum fecerit, conponatur ei cujus clausura est.

305. Si quis fossatum circa campum suum fecerit, et cavallus aut alter peculius ibidem cecederit, aut homo peregritaverit, non requiratur ab ipso cujus fossatum invenitur esse, quia pro salvationem campi sui fecit, nam non dolose tractavit; et si eum occulte cooperierit, damnum si factum fuerit, conponatur ab ipso qui occulte fecit.

306. (*De puteo.*) Si aliquit in poteo alterius cecederit, et mortuum aut debeletatum fuerit, non requiratur cujus poteus est; quia poteus aquae comunis omnium utilitatis invenitur esse.

307. (*De arma.*) Si quis alii armam suam simpliciter prestaverit, et ille qui acceperit aliquid mali cum ipsam fecerit, non requiratur illi culpa qui prestetit, sed ei qui malum cum ipsa penetravit. Et contrario si ille qui prestetit consensum ad malum faciendum habuit, collegas illi sit ad ipsum malum sanandum.

308. Si quis suam auctoritatem arma alterius tollere presumpserit, et malum cum eam fecerit, non sit illi culpam cujus arma est, sed illi qui cum eam malum fecit.

309. (*De fera.*) Si qua fera ab homine plagata fuerit et in ipso forore hominem occiderit aut quodlivit damnum fecerit, tunc ipse qui plagavit ipsum homicidium aut damnum conponat; sub ea vidilicit observatione, ut tamdiu intellegatur culpa venatoris, quandio eam secutus fuerit aut canis ipsius; nam si ipsa fera postposuerit et se ab ea turnaverit, posteaque fera ipsa damnum fecerit, non requiratur ab eo qui plagavit aut incitavit.

310. (*De pedica.*) Si in pedica aut in taliola fera tenta fuerit, et in hominem aut in piculium damnum fecerit, ipse conponat qui pedica misit.

311. Si quis super fera ab alio plagata aut in taliola tenta aut a canibus circumdata, eter suum posponens, volens eam locrari, super ipsam se miserit, et ab ipsam plagatus fuerit aut occisus, non requiratur ab eo qui plagavit aut incitavit, sed suae culpe et audaciae repotit, qui cum auctoritatem, lograndi animo, se super eam misit.

312. (*De ferá inventa ab alio vulnerata.*) Si quis feram ab alio vulnerata aut in taliola tenta aut a canibus circumdata invenerit, aut forsitam mortua, aut ipse occiderit et salvaverit, et bono animo manefestavarit, leceat eum de ipsa fera tollere dextro armo cum septem costas.

313. (*De fera celata.*) Si quis fera ab alio plagata aut forsitan mortua invenerit et celaverit, conponat solidos sex illi qui eam plagavit.

314. (*Quamdiu fera intellegatur esse venatori.*) Si cervus aut qualevit feram ab alio hominem sagittata fuerit, tamdiu illius esse intellegatur qui eam sagittavit, usque ad aliam talem oram diei aut noctis, id est oras xxiiii quod eam posposuit et se turnavit; nam qui eam post transactas predictas oras invenerit, non sit culpavelis, et habeat sibi ipsa fera.

315. (*De cervo domestico.*) Si quis cervum domesticum, qui tempore suo rugire solit, fragiaverit, conponat dominum ejus solidus duodicem; nam si furaverit, in actogild reddat.

316. Si quis cervum domesticum alienum, qui non rugierit, intrigaverit, conponat dominum ejus solidos sex; nam si furaverit, conponat in actogild.

317. (*De aves domestigas.*) Si quis aceptorem, grova, aut cecinum domesticum alienum intrigaverit, sit culpavelis solidos sex; nam si furaverit, reddat in actogild.

318. (*De apes.*) Si quis de apiclarem vas cum apis furaverit unum aut plures, conponat solidos xii.

319. Si quis de arbore signatum in silva alterius apes tolerit, conponat solidus sex. Nam si signatum non fuerit, tunc quicumque invenerit jure naturali habeat sibi, excepto in gagio regis; et si contegerit dominum cujus silva est superveneril, tollát mel, et amplius culpa non requiratur.

320. (*De aceptores.*) Si quis de silva alterius aceptores tolerit, excepto gagio regis, habeat sibi; nam si dominus silve

supervenerit, tollat aceptores, et amplius culpa adversus eum non requirat. Et hoc jobemus, si quis de gagio regis tolerit, sit culpavelis solidos XII.

321. Si quis de arbore signatum in silva alterius acceptores de nido tolerit, conponat solidos VI.

322. (*De canes incidatus.*) Si quis canes alienus clamaverit, aut incitaverit, et damnum fecerit in hominem aut in peçulium, non repotetur illi culpa cujus canis sunt, sed illi qui eos incitavit.

323. (*De hominem rabiosum.*) Si peccatis eminentibus homo rabiosus aut demoniaticus factus fuerit, et damnum fecerit in hominem aut in peculium, non requiratur ab heredibus; et si ipse occisus fuerit, simili modo non requiratur: tantum est ut sine culpa non occidatur.

324. Si canis aut cavallus aut quislibit peculius rabiosus factus fuerit, et damnum fecerit in hominem aut in peculium, non requiratur a domino; et qui ipsum occiderit, simili modo non requiratur a domino ut supra.

325. De quadrupedia, si in hominem aut in peculium damnum fecerit, ipse conponat damnum cujus fuerit peculius.

326. Si cavallo cum pede, si boves cum cornus, si porcus cum dente hominem intricaverit, aut si canes morderit, excepto, ut supra, si rabiosus fuerit, ipse conponat homicidium aut damnum cujus animalem fuerit, cessante in hoc capitolo faida, id est inimicitia, quia mutam res fecit, non homenis studium.

327. (*De cavallo prestito aut conducto.*) Si quis prestitum aut conductum cavallum aut bovem aut canem aut quolibit peculium habuerit, et dum in ipsum beneficium aut conducituram est damnum fecerit, non requiratur proprio domino: set illi, qui post se prestitum habuit, ipse humicidium aut damnum conponat.

328. Si animales alienus animalem occiderit aut intrigaverit, id est boves bovem aut quislevit peculius, tunc dominus qui animalem suum intrigatu invenerit aut forsitan jam marcitum aut minuatum, jobemus consignet ipsum intrigatum illi cujus animale intrigavit, ut semiles, qualis in illa diae fuit quando fragiatus est, recepiat ab ipso cujus animale hoc fecit.

329. (*De cane furato.*) Si quis canem furaverit, sibi nonum reddat.

330. Si quis se vindicandum occiserit canem alienum, id est cum spada aut virga aut cum qualibet arma mano tenendo, non ei requiratur; tantum est ut ipsa virga talis inveniatur esse

ut medioeres spada. Nam si post ipsum jactaverit et eum occiderit, reddat ferquidum, id est semilem.

331. Si quis canem alienum noctem aut in diem damnum facientem in casam suam invenerit, si eum occiderit, non requiratur; et si occisus non fuerit, damnum quod fecerit dominus ejus reddat.

332. (*De vacca prignantem.*) Si quis percusserit vacca prignantem, et aburtaverit, conponat tremisse uno; et si mortua fuerit, reddat eam qualiter adpretiata fuerit, simul et pecus.

333. (*De equa prignante.*) Si quis percusserit equa prignante et abortum fecerit, conponat solidum unum; et si mortua fuerit, redat eam, simul et pecus.

334. (*De ancilla prignante.*) Si quis percusserit ancillam gravidam et avortum fecerit, conponat solidos tres; si autem ex ipsa percussura mortua fuerit, conponat eam, simul et quod in utero ejus mortuos est.

335. (*De animale excoriato.*) Si lopus animalem alienum occiderit, et aliquis eum nesciente domino excoriaverit, et celaverit, et per proditorem inventum fuerit, conponat solidos duodicem.

336. Si in flumen animal mortuum fuerit aut ubicumque, et alium hominem cujus non fuit eum excoriaverit, conponat solidos XII.

337. (*De cavallo plagato.*) Si quis cavallum alienum aurem aut oculum excusserit aut aliquam lesionem corporis fecerit, recepiat ipsum qui lesus factus est, et reddat ei ferquido, id est semilem.

338. (*De coda cavalli.*) Si quis cavallum alienum coda cappelaverit, id est seta tantum, conponat solidus sex.

339. Si quis caballum alienum plagaverit aut aliqua lesionem fecerit, tunc dominus illius cavalli retradat cavallum ipsum illi homeni qui ei lesionem fecit, et ipse eum sanit; et dum ipso sanare potuerit, dit illi suo proprio cavallo, qualiter usque suam faciat utilitatem. Et si cavallus qui lesus fuet ad pristinam redierit sanitatem, reddat ipsum proprio domino; si autem ex ipsa lesionem mortuos fuerit, reddat alium semilem. Et si contegerit ut ipse cavallus qui pigneratus est post ipsum moriatur, tunc satisfaciat ille qui eum pigneratum habuit, si pulsatus fuerit, quia non per illius neglecto mortuos fuet; postea nulla sit repetitio.

340. Si quis cavallum alienum ascenderit, et infra vicinia tantum cavalegaverit, id est prope ipsum vicum, conponat

solidos II; nam si in antea eum cavalegare presumpserit, et dominum non rogaverit, in actogild reddat.

341. (*De disfigurato cavallo.*) Si quis cavallum alienum preserit, ipsumque disfiguraverit et cercinaverit, furto pena sit culpavelis, id est in actogild sibi nonum.

342. Si quis cavallum alienum aut quislevit peculius, credens suum, preserit, et dominus proprium eum cognoverit, calomniaquae generare voluerit: ita decernimus, ut preveat sagramentum ille qui eum tenuit, quia non asto nec aliqua causa facientem eum presit, sed crededit suum fuisse, et sit exulutus a culpa furti, et reddat cavallum proprio domino inlesus; si autem non presumpscrit jurare, reddat eum in actogild, quia postquam cognovit quod suum non fuit, mox debuit proprio domino innotescere: nam si eum, postquam cognoverit quod suos non fuit, ascinderit, sit culpavelis, ut supra, solidus duo.

343. (*De piculio in damno invento.*) Si quis cavallum alienum aut quolivit peculium damnum facientem invenerit, ipsumque in curtem inclauserit, et non venerit certus dominus qui eum cognuscat: tunc ille qui eum in damnum invenit ducat eum ad judicem qui in loco ordinatus est, aut certe ante ecclesia in convento, usque quartam et quintam vicem, et omnibus vocem pregonia innotiscat, quia *Cavallum inveni, et nescio cujus sit.* Et si non venerit qui eum cognuscat, jovemus ut ille qui eum invenit cavalecit et costodiat tamquam suum proprium, et si mortuus fuerit signa de ipso corio conservit, ut cum venerit certus dominus, habeat quod ei ostenderit: nam si ista neglexerit et inventum fuerit, sibi nonum eum reddat; et si iste cautela observaverit, erit exolutus a calomnia.

344. (*De piculio asto in damno misso.*) Si quis cavallos aut armenta asto animo in messem alienam aut in prato vel in quolevit damnum miserit, conponat per caput solidum unum, excepto damnum sicut arbitratum fuerit et loci consuetudo est: sic tamen si pastor non ausaverit jurare quod asto animo non misissit; et si juraverit, sit exolutus a culpa, damnum autem conponat.

345. Si quis porco aut pecoras asto animo in damnum alterius miserit, et si non ausaverit jurare, conponat solido unum, excepto damnum.

346. Si quis peculium de damnum ad clausuram minaverit, et ille cui peculius est ei antesteterit, conponat solidum

unum, excepto damnum ut arbitratum fuerit. Et si in curte permenaverit, tunc ille cujus peculius est rogit eum ut reddatur, sic tamen ut dit pignus per ultimum valente seliquas tres, aut certe fidejussorem sub tali titulo, ut damnum quod arbitratum fuerit conponatur, aut favola quod inter vicinus est; et si pignus suscepere noluerit, et unam noctem peculium post se tenuerit, conponat solido uno. Et si ille cujus peculius est tenens duritiam cordis eum liberare dispexerit, tunc habeat eum ille qui in damnum invenit novem noctis, tantum aqua ei dit, et de damnum in hoc sibi sit contemptus, eo quod novem noctis ipsum peculium tenuit. Et si ex ipsum peculium aliquid mortuum fuerit, neglegentiae suae repotit qui dispignerare neglexit.

347. Si hominem eterantem cavallus aut quislevit peculius secutus fuerit, et ille quem sequitur in ligamen aut in clausura eum miserit, ipse eum salvum faciat, sicut supra constitutum est, et veniente proprio domino restituat; nam si sequere cepit et se de via turnavit, nulla sit culpa illi quem sequere cepit.

348. Si quis ab alio hominem rogatus fuerit cavallum aut qualivit peculium querere, signaque ei dictaverit, et ille forsitan qui rogatus est cavallum alienum aut peculium per errorem preserit, si venerit proprius dominus, et calomnia generare voluerit, ita prospeximus, ut ille qui eum per errorem tenuit preveat sagramentum quia crededit ipsum esse unde rogatus fuerat; tunc reddat cavallus, et amplius calomnia non generetur, si eum male non tractaverit. Et si non venerit proprius dominus, reddat eum illi de quem ipsum tolit, ut ipse iterum juxta legem, sicut supra decretum est, conservit.

349. (*De porcus.*) Si porcus in isca alterius paverent et inventi fuerent, si minus sunt de decem, non occidatur neque unus ex ipsis, sed ille qui eos invenerit teneat unum ex ipsis et habeat salvum, et conponatur ei per porco seliquas tres. Nam si supra fuerent de decem et usque ad decem, occidatur unum mediocrem, et non requiratur; nisi si minus fuerint de decem, et occiderit, reddatur ferquido.

350. Si quis in pratu porcus fossas facientem invenerit unum aut plures, occidatur unum tantum, et non requiratur.

351. (*De verre.*) Si quis verrem alienum furaverit, conponat solidos duodicem. Ipsum dicitur sonorpair, qui omnes alios verres in gregis battit et vincit. Tamen in unam gregem, quamvis multitudo porcorum fuerit, unus conpotetur sonorpair;

nam si minor grex de trigenta capita fuerit, non repotetur sonorpair, nisi si xxx aut super fuerent. Et si in damnum ipse sonorpair occisus fuerit, aut semilem aut meliorem ipse qui occiderit restituat, et damnum ei conponatur; nam si alii verres aut porci furati fuerent, in actogild reddantur.

352. (*De porcario battudo.*) Si quis porcario de homine libero battederit, ipse qui de curtem ipsius exit, nam non de casa massari, conponat solidos xx: tantum est ut porcarius ipse ferita prius non faciat aut scandalum comittat; nam si fecerit plagas aut feritas, arbitretur et conponantur.

353. Si duo porcarii inter se battederent aut scandalum comiserent, plagas aut feritas conponatur, nam alia culpa non requiratur.

354. (*De campo alieno arato.*) Si quis campum alienum araverit sciens non suum, aut semente spargere presumpserit, perdat opera et frugis; et ille qui campum suum conprovaberit habeat frugis.

355. (*De campo exarato.*) Si quis exaraverit campum alienum seminatum, et suum non potuerit provare, alio tantum frugis quod devastavit proprio domino reddat, et pro incautam presumptionem conponat solidos sex.

356. (*De prato secato aut exarato.*) Si quis pratum alienum segaverit aut exaraverit, et fenum reddat, et pro inlecita presumptione conponat solidos sex.

357. Si quis campum alienum asto cum piculium suum delierit aut spicas manibus evellerit, conponat solidus sex.

358. Nulli sit licentia eterantibus erba negare, excepto prato intacto tempore suo, aut messem. Post fenum aut frugis collectus tantum vindicit cujus terra est, quantum cum clausuram suam potest defendere. Nam si cavallus iter facientibus de stupla, aut de ipsa pascua ubi alia peculia pascent, movere presumpserit, in actogild ipsus cavallus conponat, pro eo quod ipsos de arvo campo, quod est fonsaccri, movere presumpsit.

359. (*De sacramentis.*) Si qualiscumque causa inter homines liberos evenerit, et sacramentum dandum fuerent, si usque ad vigenti solidos fuerit causa ipsa aut amplius, ad evangelia sancta jurit cum xii aidos suos, id est sacramentales: ita ut sex illi nominentur ab illo qui pulsat, et septimus sit ille qui pulsatur, et quinque quales voluerit liberos, ut sint duodicem. Quod si minor fuerit causa de vigenti solidis, usque ad duodi-

cem, sibi sextus jurit ad arma sacrata; tres ei nominit qui pulsat, et duos liberos sibi elegat qualis voluerit qui pulsatur, et sextus sit ipse. Et si minor fuerit causa de duodicem solidis, sibi tertius juret ad arma; unum ei nominit, et alium sibi querat, et tertius sit ipse.

360. *(De wadia et fidejussorem.)* Si quis alii wadia et fidejussorem de sacramentom dederit, per omnia quod per wadia oblegavit adinpleat. Et ille qui pulsat, et ille qui pulsatur et wadia suscepit, proximiores sacramentales qui nascendo sunt deveat nominare; tantum est, excepto illum qui gravem inimicitia cum ipsum qui pulsat comissam habit, idest qui plaga ei fecit, aut in mortem consensit, aut res suas alii thingavit, ipse non potest esse sagramentales quamvis proximus sit, eo quod nimicus aut extraneus invenitur esse.

361. Si quis alii pro quacumque causa wadia et fidijussore de sacramento dederit, dit ei spacium usque ad duodicem noctis ad ipsum sacramentum dandum; et si forsitan, propter egritudinem aut aliam causam supervenientem, in praedictum constitutum non potuerit jurare, suspendatur causam usque ad alias duodecim noctis. Et si nec tunc conpleverit, et totum annum unum volontariae dilataverit, et sacramentum non dederit, tunc rem ipsam unde agitur amittat, et ille adquerat qui wadia suscepit. Et contrario si ille qui wadia susceperit dilataverit sacramentum audire, et anno toto protraxerit, post transacti anni spatium nulla et in posterum habeat faguundiam de ipsam rem loquendi, sed ille qui paratus fuit sacramentum dare firmiter possideat.

362. *(Si post sacramentum judicatum aliquis moriatur.)* Si contegerit homini post datum fidejussore de sacramentum et sagramentales nominatus mori, et filius dimiserit, posteaque ille qui causam querit pulsaverit filius, dicendo, quia *Quidquid pater per wadia et fidejussorem obligavit, filius conplere debent;* tunc necesse est filius, quamvis virtutem minorem habeant a patre, aut per sagramentum negare quod pater eorum non promisissit, aut certe quod pater eorum spopondit adinpleat. Et si aliquis de ipsos sacramentalis mortuos fuerit, potestatem habeat ille qui pulsat in locum mortui alium semilem nominare de proximos legetimos, aut de natos, aut de gamahalos, id est confabulatus. Et si dixerit qui pulsat quod sagramentum ruptum fuissit, preveat sagramentum qui negat, si ausus fuerit, quia neque patri neque ipsius sagramentom ruptus non fuissit: postea jurit sicut supra constitutum est.

363. (*De sacramentum ruptum.*) Sacramentum tunc intellegitur ruptum, quando presentes sacrosancta evangelia aut arma sacrata ipse qui pulsatur cum sacramentales suos conjunxerit, et non ausaverit jurare, aut ipse aut aliquis de sacramentalibus suis se subtraxerint, tunc intellegitur sagramentum ruptum.

364. (*De eo qui prius manefestaverit, et sagramentum promittit.*) Si pro quacumque culpa homo pulsatus fuerit ab alio, et negaverit, leceat eum se edoniare secundum legem et secundum qualitatem causae. Si autem manefestaverit se fecisse, conponat secundum qualiter in hoc Edictum legitur; nam nulli leceat, postquam prius manefestaverit, postea per sagramentum negare quod non sit culpavelis, postquam ipse se culpavilem adsignat. Quia multos cognovimus in regno nostro tales pravas opponentes intentiones, hec nos moverunt presentem corregere legem et ad meliorem statum revocare.

365. (*De devitum patris mortui.*) Si quis post mortem patris filium de devitum appellaverit, quod pater debitor fuissit, et filius negaverit, ita dicernimus, ut preveat filius sacramentum, secundum qualitatem pecuniae unde pulsatur, quod pater ipsius ei debitor non fuissit, aut per pugna defendere si potuerit.

366. Si aliqua inter creditorem, et devitorem atque fidejussorem surrexerit intentio, et dixerit creditor, quia *In tali pretexto wadia suscepi*, et fidejussor negaverit; non est causa fidejussoris sagramentum preveri, nisi devitor singolus satisfaciat ad evangelia aut ad arma, quia *In tali capitulo nec wadia dedi nec fidejussore posui.*

367. (*De waregang.*) Omnes waregang, qui de exterras finis in regni nostri finibus advenerit, sequens sub scutum potestatis nostre subdederint, legibus nostris Langobardorum vivere deveant, nisi si aliam legem ad pietatem nostram meruerent. Si filius legitimus habuerint, heredes eorum existant sicut et filii Langobardorum; si filius legitimus non habuerint, non sit illi potestas absque jussionem regis res suas cuicumque thingare, aut per quodlibit titulum alienare.

368. (*De camphionibus.*) Nullus camphio presumat, quando ad pugnando contra alio vadit, herbas quod ad maleficias pertinit super se habere, nec alias tales semelis res, nisi tantum arma sua que convenit; et si suspicio fuerit, quod eas occulte habeat, inquiratur ad judicem, et si inventas super eum fuerit,

evellantur et jactentur: et post ipsam inquisitionem tendat manum ipse camphio in manum parentis aut conlibertis, aut ante judicem satisfaciens dicat, quod nullam talem rem quod ad maleficiam pertinit super se habeat; tunc vadat ad certamen.

369. (*De causas regales.*) Omnes vero regales causas, quae ad manum regis perteneunt, unde conpositio expectatur aut culpa queritur, duplicetur secundum antiquam consuitutinem conpositio, excepto mundio de mulieris, aut morh, aut alias que semilis sunt, unde noningenti soledi judicantur, quas in suum vigorem constituimus permanere; reliquas vero omnes, ut predixemus, in dubblum exegantur.

370. Si servus regi morh fecerit, ita decrevimus, ut conponatur ipsa persona sicut adpraetiatus fuerit, et servus ipse super fossam ipsius mortui adpendatur et in eum vindicta detur, et sit causa finita.

371. De alias vero causas unde liberi aut servi aliénorum hominum noningentos solidos fiunt culpavelis, id est de muliere libera si via antesteterit aut injuriam fecerit, seu de gregis equarum aut porcorum pigneratos, vel reliquas quae semelis sunt, unde et prefati sumus nongenti solidi queruntur, de qua supra in hoc Edictum constituimus, servus regi si fecerit, anime sue incurrat periculum, et DCCCC solidi non requiratur ad curtem regis.

372. Si servus regi furtum fecerit, reddat in actogild, et non sit figang.

373. Si servus regi hoberus, aut wacuor, seu marahworf, aut qualibit alia culpa minorem fecerit, ita conponat, sicut aliorum exercitalium quae supra decreta sunt conponuntur.

374. (*De sculdahis*) Si quis sculdahis aut actorem regis occiserit utilitatem regis facientem, adpretietur pro libero hominem, sicut in hoc Edictum legitur, et parentibus legetimis conponatur, excepto in curtem regis conponat qui eum occiderit solidos octugenta. Et si battutus fuerit aut legatus, similiter conponatur pro liberum hominem aut secundum nationem suam, sicut in hoc Edictum consitutum est; excepto in curtem regis pro culpa solidos octugenta.

375. Si gastaldius aut quicumque actor regis, post suscepta aut comissas ad gobernandum curtis regis et causas regias, si aliquit per gairethinx, id est donationem, ab alio quemque factam conquesierit, sit illi stabilem si per preceptionem indulgentiae regis in eum fuerit confirmatum; alioquin quidquid, ut

predictum est, post suscepta administrationem per gairethinx adquisiverit, hoc totum regi adquirat, et non suum proprium nomine vindicet nec ipse nec heredis ipsius.

376. Nullus presumat aldiam alienam aut ancillam quasi strigam, quem dicunt mascam, occidere: quod christianis mentibus nullatinus credendum est nec possevilem, ut mulier hominem vivum intrinsecus possit comedere. Si quis de cetero talem inlecitam et nefandam rem penetrare presumpserit, si aldia occiserit, conponat pro statum ejus solidos LX, et insuper addat pro culpa solidos C, medietatem regi, et medietatem cui aldia fuerit; si autem ancilla fuerit, conponat pro statum ejus ut supra constitutum est si ministiriales aut rustiga fuerit, insupér pro culpa solidos LX, medietatem regi, et medietatem cujus ancilla fuerit. Si vero judex huic opus malum penetrare jusserit, ipse de suo proprio pena suprascripta conponat.

377. Si quis hominem liberum unum oculum habentem ipsum excusserit, duas partis pretii ipsius quod adpretiatus fuerit si eum occidissit ei conponat. Si autem aldium aut servum alienum unum occulum habentem ipsum excusserit, conponat eum pro mortuum.

378. Si mulier libera in scandalo cocurrerit ubi veri litigant, si plagam aut feritam facta habuerit aut forsitan inpincta fuerit aut occisam, adpretietur secundum nobilitatem suam, et sic conponatur tamquam si in fratrem ipsius mulieris perpetratum fuissit; nam alia culpa pro injuriam suam, unde DCCCC solidi judicantur, conponere non requirantur, eo quod ipsam ad litem cocurrit, quod inhonestum est mulieribus facere.

379. Si quis cassinam aut tectum alienum foris curtem ubi vir non habitat, dum intentio fuerit de terra, disturbaverit aut in terram jactaverit et terram suam, sicut lex habit, convincere non potuerit, restaurit ipsam cassinam, et conponat aliam talem sub extimationem pretii; nam si casa ubi habitatur disturbaverit, conponat sicut in hoc Edictum legitur aratraibus.

380. Si quis peculium suum de clausuram alienam occulte tolerit, et non rogaverit, conponat curtis rupture, id est overos, solidos XX.

381. Si quis alium per fororem arga clamaverit, et negare non potuerit, et dixerit quod per fororem dixissit: tunc juratus dicat quod eum arga non cognovissit; postea con-

ponat pro ipsum injuriosum verbum solidos XII. Et si perseveraverit, convincat per pugnam si potuerit, aut certe conponat ut supra.

382. Si quis hominem liberum inpegerit ut cadat, conponat solidos VI, sic tamen si alteram lesionem in corpore ipsius non fecerit; si autem eum inpegerit et non cecederit, conponat solidos III.

383. Si quis hominem liberum, surgentem rexa, per barbas aut capillos traxerit, conponat solidos VI, si aldium aut ministirialem seu servo rustigano per barbas aut capillos traxerit, conponat sicut pro ferita una.

384. (*De brachio, coxa, seu tibia rupta.*) Si quis homini libero brachio super govito, hoc est murioth, ruperit, conponat solidos XX; si autem subtus gomitum, quod est treno, conponat solidos XVI. Si coxa ruperit super geniculum, hoc est lagi, conponat solidos XX; si subtus geniculum, quod est tibia, conponat solidos XVI. Si vero semus aut clodus fuerit, conponat, sicut in hoc Edictum legitur, quartam partem.

385. (*De mundio puelle et de devitum.*) Si mundio de puella libera, parentis mortuos, ad curtem regis ceciderit, et pater vel frater devitum demiserit, in quoda portionem patri vel fratris heredis successerit, ita et devitum persolvat. Simili modo et si naturales filii fuerent.

386. Presentis vero dispositionis nostrae Edictum, quem, Deo propitio, cum summo studio et summis vigiliis a celestem faborem prestetis, inquirentes et rememorantes antiquas legis patrum nostrorum quae scripte non erant, condedimus; et quod pro commune omnium gentis nostre utilitatibus expediunt, pari consilio conparique consensum, cum primatus, judices, cunctoque felicissimum exercitum nostrum, augentis constituimus, in hoc membranum scribere jussimus pertractantes. Et sub hoc tamen capitulo reservantes, ut quod adhuc, annuentem divinam clementiam, per suptilem inquisitionem de antiquas legis Langobardorum tam per nosmetipsos quam per antiquos memorare potueremus, in hoc Edictum subjungere deveamus addentes, quin etiam et per gairethinx secundo ritus gentes nostre confirmantes, ut sic haec lex firma et stabelis: quatinus nostris filicissimis et futuris temporibus firmiter et inviolabiliter ab omnibus nostris subjectis costodiatur.

387. Si quis hominem liberum casum facientem nolendo occiderit, conponat eum sicut adpretiatus fuerit, et faida non requiratur, èo quod nolendo fecit.

388. Et hoc addimus hac decernimus, ut causas que fenitas sunt non revolvantur; quae autem non sunt fenitas, et a presente vigisima secunda die minsis hujus novembris, indictione secunda, incoatae aut commute fuerit, per hoc Edictum incidantur et finiantur.

Et hoc generaliter damus in mandatis, ne aliqua fraus per vicium scriptorum in hoc Edictum adibeatur, si aliqua fuerit intentio nulla alia exemplaria credatur aut suscipiatur, nisi quod per manus Ansoald notario nostro scriptum aut recognitum seu requisitum fuerit, qui per nostram jussionem scripsit.

EXPLICIT EDICTUM

ROTHARIS REGIS.

INCIPIT EDICTUM

GRIMOWALDI REGIS.

(Mense julio, anno DCLXVIII.)

Superiore pagina hujus Edicti legitur, ita quod adhuc annuente Domino memorare potueremus de sincolas causas que in presente non sunt adficte, in hoc Edictum adjungere deveamus; ita ut causas que judicate et fenitae sunt non revolvantur. Ideo ego vir excellentissimus Grimowald, gens Langobardorum rex, anno, Deo propitio, sexto regni mei, minse julio, indictione undecima, per sucgestione judicum omniumque consensu ea, quae illis dura et impia in hoc Edictum visa sunt, ad meliorem statum et clementiorem remedium corregere et revocare previdemus, id est

1. (*De trigenta annorum isocapione.*) Si servus aut ancilla per trigenta annis, qualiter rei veritas cognita fuerit per trigenta annis dominis suis servisse, et per supervia aut injusta patrocinia se voluerit de domino suo proprio per pugna vindicare, nulla-

tinus ei permittimus, set serviat sicut decit servus aut ancilla proprio domino suo. Similiter et si aldius fuerit, inpendat obedientia patrono suo sicut per trigenta annos fecit, et ei nova a domino suo amplius non inponatur, sed leciat eum res suas habere quas per trigenta annorum spatia juste possedit.

2. De liberis de quibus constat XXX annis in libertate sua permansissit, nulla per pugna patiatur violentia, sed leceat eis in libertatem suam permanere; et si eos quicumque pulsaverit, leceat illis cum sacramentalibus suis legetimis se edoniare.

3. (*De culpa servorum.*) Si servus talem culpam fecerit, unde DCCCC solidi, quae in hoc Edictum scripti sunt, judicantur ut dominus pro servo deverit conponere, et hoc ampotare jussimus; ut si factum fuerit, nihil aliut conponat dominus ejus, nisi ipsa persona tradat ad occidendum, et conponat pro inlecita causa quod servus penetravit solidos LX: amplius non requiratur. Et si ipse servus fuga lapsus fuerit, et non potuerit dominus ejus eum invenire, dit pro ipso servo qui fuga petiit aut se dilatavit solidos XX; et preveat sacramentum dominus ejus quod non potuissit ipsum servum invenire; et si quandocumque inventus fuerit, tradat eum ut supra ad moriendum, et recipiat solidos XX quos pro fugam ipsius dedit; nam sexagenta solidos conponat pro culpa quam servus fecit. Et si servus expolia homenis sepulti de sepulturam tolerit, de quantum tolit dominus ejus reddat, et conponat, ut dictum est, solidos LX, et persona tradatur ad moriendum.

4. (*De trigenta annorum possessionem pretiorum.*) Si quis per triginta annis possederit casas, familias, vel terras, et cognitum fuerit quia ejus possessio fuit, post trigenta annorum curricula pugnam non proveniat, nisi ipse qui possedit secundum qualitatem pecuniae cum sacramentales suos se defendat; nam per pugnam, ut dictum est, non faticetur.

5. (*De successione nepotum, qui post mortem patris in sino habi remanserit.*) Si quis habuerit filius legetimus duos aut plures, et contegerit unum ex filiis vivente patre mori, et reliquerit filius legitimus unum aut plures, et contegerit habo mori: talem partem percipiat de substantia abi sui una cum patruis suis, quale pater eorum inter fratribus suis percepturus erat si vivus fuissit. Similiter et si filias legitimas unam aut plures, aut filii naturales unum aut plures fuerent, habeant legem suam sicut in hoc Edictum legitur. Quia inhumanum et impium nobis

vedetur, ut pro tali causa exhereditentur filii ab hereditatem patris sui, pro eo quod pater eorum in senu avi mortuos est; sed ex omnibus, ut supra, aequalem cum patruis suis in locum patris post mortem avi percipiant portionem. Similiter et si legitimi non fuerent, et naturales inventus fuerit unum aut plures, habeant legem suam, id est tertiam partem ex omnibus.

6. (*De oxoribus dimittendis.*) Si quis oxorem suam absque culpam legitimam posposuerit, et alia in domo superinduxerit, conponat solidos quingentos, mediaetatem regi, et medietatem parentibus mulieris; mundio vero ejus mulieris, quam postposuit, amittat. Et si noluerit ad maritum suum reverti, revertatur ad parentes suos cum rebus suis, et mundium [ejus sit in potestatem regi, quod illi placuerit hoc faciat].

7. (*De crimen oxoris.*) Si quis oxorem suam incriminaverit asto sine causa legetimam quasi adulterassit, aut in anima mariti sui tractassit, leceat illi mulieri per sagramenta parentum aut per pugnam se mundare. Et si purificata fuerit, tunc maritus ejus preveat sagramentum cum parentibus suis legetimis sibi duodecimus, quia non asto animo nec dolose ei crimen injecit ut eam deverit dimittere, nisi per certam suspectionem et auditum habuissit haec verba; et si haec fecerit, sit exolutus a culpa. Et si non fuerit ausus jurare, conponat widrigild ipsius mulieris tamquam si fratrem ejus occidissit, medietatem regi, et medietatem parentibus mulieris.

8. Si mulier aut puella notum habuerit quemcumque habere oxorem, et super ipsam introierit, et tolerit ei maritum non suum: jubemus ut omnes res suas perdat ipsa mulier, qui sciendo alterius marito volontariae consensit, et medietatem de rebus ejus accipiat curtis regia, et medietatem parentibus; et illam priorem mulierem recipiat maritos suos, et colat eam ut decit oxorem legetimam. Illa autem vitium suum repotit quae super alienam oxorem introire presumpsit, et nihil ei conponatur, et faida non requiratur.

9. Si ancilla furtum fecerit, conponat dominus ejus furtum ipsum sibi nonum tantum; nam quadragenta solidi, unde in hoc Edictum legitur pro culpa, quod est fegang, non requiratur neque exegatur a domino ancillae.

EXPLICIT EDICTUM

GRIMOWALDI REGIS.

INCIPIT EDICTUM
LIUTPRANDI REGIS.

INCIPIT DE ANNO PRIMO.

(Pridie kalendas martias, anno DCCXIII.)

VOLUMEN PRIMUM.

Leges quas christianus ac catholicus princeps instituere et prudenter censere disponit, non sua providentia, sed Dei notu it inspiratione eas animo concepit, mente pertractat, et salubriter opere conplit; quia cor regis in mano Dei est, atestante sapientissimo Salomonem, qui ait: „Sicut impitus aquae, ita cor regis in mano „Dei; si tenuerit eas, omnia siccabuntur; si autem clementer eas emi„serit, universa inrigantur, et replentur suavitatem." Quidem et apostulus Domini Jacobus in epistola sua ita ededit dicens: „Omnem do„num optimum et omnem datum perfectum de sursum est, discendens a patre luminum." His ergo expletis, recolimus, quoniam rovustissimus decessor noster atque emenentissimus R o t h a r i *rex, sicut ipse est in scriptis affatus suis, superius in Langobardis Edictum renovavit atque instituit; ubi et prudenter hoc inserere curavit dicens, si quis ille Langobardorum princeps ejus successor superfluum quid inibi reperiret, ex eo sapienter auferret, et quod minus invenerit, Deo sibi inspirante adicerit. Post hoc enim gloriosissimus* G r i m o w a l d *rex, quae illi secundum Deo placita fuerunt, minuit et ampliavit. Cujus nos normam sequentes, divinitus, ut credimus, inspirati, simili modo ea quae juxta legem Dei nobis congrua paruerunt subtrahere et addere previdemus, sicut et in presentem paginam scrivere jussimus.*

Ob hoc ego in Dei omnipotentis nomine L i u t p r a n d *excellentissimus christianus et catholicus Deo dilectae gentis Langobardorum rex, anno, Deo protegente, regni mei primo, pridie kalendarum martiarum, indictione undecima, una cum omnibus judicibus meis tam de Austriae et Neustriae partibus nec non et de Tusciae finibus, vel cum reliquis fedelibus meis Langobardis; et cuncto populo adsistente, haec nobis commune consilio juxta ob Dei timorem atquae amorem ac sancta conparuerunt et placuerunt: primum omnium*

(*I. De successionem filiarum.*) **1.** Si quis Langobardus sine filiis masculinis legetimis mortuos fuerit, et filias dereliquerit, ipse ei in omnem hereditatem patris vel matris suae tamquam filii legetimi mascolini heredis succedant.

(*II.*) **2.** Si quis Langobardus se vivente filias suas nupto tradederit, et alias in capillo in casa reliquerit, tunc omnes aequaliter in ejus substantia heredis succedere debeant tamquam filii masculini.

(*III.*) **3.** Si quis Langobardus sororis reliquerit, et vivente eum ad marito ambolaberit, tantum habeat ex fratris facultate, si ipse filias riliquerit, quantum in diae votorum acceperunt quando ad maritum ambolaverunt. Nam si ipse frater neque filius neque filias reliquerit, aut si habuerit et ante eum mortui aut mortuae fuerent absque filiis, filiabus, tunc sorores ejus, tam qui in capillo remanserunt quam que ad maritum ambolaverunt, in omnem substantiam ejus ei heredis equaliter succedant.

(*IIII.*) **4.** Si quis Langobardus sorores et filias in capillo in casa reliquerit, pariter atque aequaliter quantecumque fuerent in hereditatem ejus ei succedere debeant, tamquam filii legetimi dereliquissit.

(*V.*) **5.** Si filiae aut sorores contra volontatem patris aut fratris egerit, potestatem habeat pater aut frater judicandi de rebus suis quomodo aut qualiter voluerit.

(*VI.*) **6.** Si quislibet Langobardus, ut habit casus humane fragilitatis, egrotaverit, quamquam in lectolo rejaceat, potestatem habeat dum vivit et recte loqui potest pro anima sua judicandi vel dispensandi de rebus suis quid aut qualiter cui voluerit, et quod judicaverit stabilem debeat permanere.

Si quae cause de suprascriptis capitulis, quae nuper in presenti pagina Edicti adfigi precipimus, antea deliberate aut per devisionem fenitae sunt, in eo modo maneant sicut antea sunt finitae vel statutae; quae autem terminate et per divisionem decise non sunt, in eo ordine deliberentur et maneant, sicut modo decrevimus, et in hoc Edictum a nobis facto statuere visi sumus. Que denique universa superius a Celsitudine nostra instituta Potoni notario sacri nostri palatii conprehendenda et ordinanda precipimus.

EXPLICIT DE ANNO PRIMO.

INCIPIT DE ANNO QUINTO.

(Kalendis martiis, anno DCCXVII.)

VOLUMEN SECUNDUM.

Ego in Dei omnipotentis nomine Liutprand excelentissimus rex gentis felicissimae ac catholicae Deoque dilecte Langobardorum, reminiscor quoniam, sicut superius a nobis pagina legitur instituta, anno scilicet regni nostri primo, indictione undecima, ea quae nobis nostrisque judicibus et reliquis Langobardis fedelibus nostris ob Dei timore atque amore recta conparuerunt, in antico Edicti corpore recto adicere curavimus moderamine. Nunc iterum, annuente Dei omnipotentis misericordia, diae calendarum martiarum, anno regni nostri, Deo propitio, quinto, indictione quintadecima, simili modo cum omnibus judicibus nostris de partibus Austriae et Neustriae nec non et de Tusciae finibus, seu ceteris nostris Langobardis, adhuc previdemus adaugere illa que Deo credimus placita esse: ut in multis causis et locis proibeantur perjuria, et cause, quae a quibusquae hominibus misericorditer dispqnuntur, in peccati honus deinceps nequaquam procedant; et illut quod forsitan antea videvatur obscuro, nunc omnibus luce clarius eneliscat: primum omnium

(*I. De morgincap mulierum.*) **7.** Si quis Langobardus morgincap conjogi suae dare voluerit quando eam sibi in conjugio sociaverit, ita dicernimus, ut alia diae ante parentes et amicos suos ostendat per scriptum a testibus rovoratum, et dicat, quia *Ecce quod conjugi meae morgincap dedi;* ut in futuro pro hac causa perjurio non percurrat. Ipsum autem morgincap nolumus ut amplius sit, nisi quarta pars de ejus substantia qui ipsum morgincap fecit. Si quis minus voluerit dare de rebus suis, quam ipsa quarta portio sit, habeat in omnibus licentiam dandi quantum voluerit; nam super ipsam quartam portionem dare nullatenus possit.

(*II. De testibus.*) **8.** Si qualiscumque causa inter conlibertus aut parentis convenerit aut acta fuerit, et homines boni tres aut quattuor interfuerent, non reprovetur postea ipsa causa, nisi eorum testimonio ambe partes credant qui fuerent inter. Pro cujus autem causa testis illi testimonium reddiderint, ipse homo causatori suo per sacramentum satisfaciat. Testis vero ipsi tales sint, quorum opinio in bonis precellat operibus, et quibus fides amittitur, vel quibus princeps aut ejus judices credere pos-

sent. Et si forsitan rememorati testes veritatem ipsam celare voluerent, tunc per sacramentum satisfaciant princepi aut a missom ejus, ut ipsa veritas non obfuscetur. Si quidem per wadia oblicatio facta fuerit, et intentio pro hoc fuerit excitata, in eo judicio maneat, sicut in anteriori Edicto legitur, quod gloriosissimo ROTHARI rex instituit.

(*III. De libertis.*) **9.** Si quis servum suum aut ancillam in manum regis dederit, et ipse princeps eos per manos sacerdotis circa sacrum altarem liberos dimiserit, sic permaneant liberi, sicut illi qui fulfreal thingati sunt; et qui mundium de ipsa libera a principe expetierit, sic eum habeat sicut de fulfreal muliere, nam amplius ei nulla conditione debeat neque ipsa neque filia ejus. Et hoc est statutum, ut masculi, qui de ipsa libera nati fuerent, absque mundium sint; femine autem habeant mundium sicut et mater earum, et ipse mundius non sit amplius quam solidos tres.

(*IIII. Item de libertis.*) **10.** Si quis servum suum aut ancillam liberum dimiserit, et posuerit ei mundium aut unum solidum, aut duo, aut tres, aut sex, tantum habeat mundium, quantum ei in cartola adfixerit; et qui postea ex ipsa liberta nati fuerent, sibe masculi sibe femine, non habeant amplius mundium nisi quantum et mater earum.

(*V. De servo fugacem.*) **11.** Si servus dum in fuga est furtum fecerit, et in ipsa fuga foris provincia exierit, sic exinde procedat judicium, sicut gloriosissimus ROTHARI rex instituit. Et si ipse servus intra provincia dilataverit, tunc dominus ejus habeat spatium ad eum requirendum per menses tres; et si eum invenerit aut non invenerit, et causa furti manefestata fuerit quod isdem servus furtum ipsum fecissit, tunc dominus ejus conponat furtum ipsum sicut lex est. Et si forsitans manefestus non fuerit, et dominus ejusdem servi vetaverit quod ipsum furtum non fecissit servus ejus, tunc per pugnam aut per sacramentum se defendat si potuerit.

(*VI. De puella quae intra etate est.*) **12.** Si quis puella ante duodecim annos aut spunsaverit aut tolerit, tunc ille qui eam tolit aut spunsavit conponat sicut Edictum de raptum contenit, hoc est solidos nongenti, medietatem regi, et medietatem eidem infantole; et ipsa revertatur in casa et in pecuniam suam, et sit quieta usque ad suprascriptum tempus: postea autem elegat ipsa sibi, et nubat cui voluerit. Si autem mundoald ejus consentiens fuerit aut tradederit eam ante suprascriptos XII annos,

conponat in sagro palatio solidos ccc, et mundium ejus amittat; et sit ipsa cum rebus suis in mundio palatii. Pater autem aut frater potestatem habeant cui aut in quali etate voluerit dandum aut spunsandum filiam aut sororem suam: quoniam ista licentia ideo dedimus, eo quod credimus quod pater filiam aut frater sororem suam doloso animo aut contra rationem cuiquam homini dare non debeant.

(*VII. De occisionem hominis liberi, et conpositionem ejus.*)

13. Si quis Langobardus ab alio homine, quod Deus avertat, interemtus fuerit, et causa secundum legem ad conpositionem venerit, et ipse qui occisus fuerit filium masculinum non reliquerit: quamquam filias instituissimus heredis sicut masculus in omni substantia patris et matris, ipsam conpositionem volumus ut accipiant propinqui parentis ejusdem qui occisus fuerit, illi qui per caput succedere potuerunt; quia filiae ejus, eo quod fimeneo sexu esse provatur, non possunt faidam ipsam levare. Ideo prospeximus ut ipsam conpositionem non recipiant, nisi, ut diximus, suprafati propinqui parentis; et si propinqui parentis non fuerint, tunc medietatem de ipsa conpositione suscipiant filiae ipsius si una aut plures fuerent, et medietatem curtis regia,

(*VIII. De sororibus, qualiter una alterius succedere debeant.*)

14. Si sorores in casa patris remanserint aut a maritum ambolaverint, succedant patri suo et matri suae in omnibus substantia eorum, sicut antea statuimus. Et si contegerit una ex eisdem sororibus mori, tunc et quae in capillo remanserent, et quae ad maritum ambolaverint, in omni portioni sorori suae defunctae, quamvis puella mortua fuerit, succedant; parentis autem propinqui aut mundoald earum tantum mundium earum suscipiant, nam de rebus ejus aliud nihil percipiant. Si autem contegerit illa mori quae jam nupto tradita est, tunc ille ei succedat, qui eam per mundium suam fecit.

Si autem qualiscumque cause amodo emerserent de his capitulis, quae nunc Excellentia nostra statuit, a presenti diae kalendarum martiarum, hoc est quintadecima indictione, et anno regni nostri in Dei nomine quinto, volumus ut sic terminentur, sicut Celsitudo nostra cum judicibus et reliquis Langobardis decrevit, ut supra leguntur; quae vero antea de talibus capitulis provenerunt, et jam finitae aut statutae sunt, sic permaneant, sicut prius cognuscuntur esse decisae.

EXPLICIT DE ANNO QUINTO.

INCIPIT DE ANNO OCTABO.

(Kalendis martiis, anno DCCXX.)

VOLUMEN TERTIUM.

Ego in Dei omnipotentis nomine excellentissimus Liutprand rex filicissime gentis Langobardorum, anno, Deo propitio, regni mei octabo, diae kalendarum martiarum, indictione tertia, una cum inlustribus veris oblimatibus meis Neustriae, Austriae et Tusciae partibus, vel universis nobilibus Langobardis, dum singula quae in anterioribus titulis hujus Edicti leguntur studiosae hac subtiliter perscrutassemus, assistente omni populo, presentem, quam sequens sermo monstraverit, addere, elucidare, sibe statuere previdemus legem: primum omnium

(*I.*) **15.** Quicumque homo sub regni nostri dicione cuicumque amodo wadia dederit et fidejussore posuerit presentia duorum vel trium testium quorum fides amittitur, in omnibus conplere debeat; et si distolerit, et pigneratus fuerit in his rebus in quibus lecitum est pignerandi, nulla calomnia qui pigneraverit patiatur. Nam qui sine hac manefestationem pignerare presumpserit, juvemus ut dublum pignum restituat. Si vero inter creditorem et devitorem et fidejussorem orta fuerit intentio, qualiter in anteriore Edicto legitur et a gloriosae memoriae Rothareni rege instituere, per sacramentum determinentur; nam si in presentia duorum vel trium testium stipolatio ipsa facta fuerit, eorum testimonium, ut sacramentum inter dantes et accipientes menime proveniat, credatur. Et si debuerent ipsi testes suum testimonium firmare, nobis, vel qui in tempore princeps fuerit, vel judici firmare deveant. Et si hominis inter non fuerent quando wadiatur, quicumque quasi fidejussorem pigneraverit conponat sicut supra legitur.

(*II.*) **16.** Si quis mutuaverit solidos cuicumque homini per cautione, si intra quinque annos creditor pulsaverit, et devitor non habuerit unde solvere, renovetur cautio ipsa usque ad annos decem; et si intra decem annos pulsatus fuerit, et non redderit, et dilataverit usque ad xx annos, et fuerit pulsatus aut per principem, aut per judicem civitatis, et provatum fuerit, ipsa cautionem devitor et heredis ejus persolvant. Nam si nec cautio fuerit intra decem annos bes renovata, neque principem vel judicem ostensa sibe manefestata usque ad xx annos, juvemus ut creditor posmodum taceat, et nullam habeat facundia devitoribus suis requirendum;

excepto si ei captivitas evenerit. De cautionibus autem quae usque modo in presente indictione tertia facta sunt, intra quinque annos istos advenientes jovemus ut renobintur aut exegantur; nam si distolerent intra quinque annos devitores suos pulsare, ut aut cautiones renovintur aut devita reddant, et neclegentia fecerint, non habeant posmodum fagundia ipsa devita requirendum. De his autem cautionibus quae amodo facte fuerint, sic finiant, sicut supra premisemus et statuimus.

(*III.*) **17.** Si frater fratrem in peccatis occiderit, quamquam hoc anterior Edictus contenit, ut proxemi parentes humicidae succedant, nos proximos fratres appellamus. Si frater relictus fuerit, in res humicidae frater succedat: ita ut, secundum qualitatem persone, de ipsa substantia humicide, si ille qui occisus est filius reliquerit, conpositionem dare deveat; reliquum autem quod fuerit, sibi habeat: et si pecunia ipsius humicidae in tantum fuerit sub extimatione, quantum ipsa conpositio est, aut forte minus, habeant eum filii ipsius qui occisus est. Quod si non reliquerit fratrem unum vel plures his qui occisus est, quantulacumque sit substantia humicide, filii ipsius qui occisus est in ea succedere deveant; quod si non habuerit filius, proximi succedant ei parentes per gratos; quod si nec parentes fuerent qui ei legitime succedere possent, succedant ei curtis regia. De anima autem humicide illius sit in potestatem regis, sicut in anteriore Edicto legitur.

(*IIII. De negotiatoribus vel magistros*). **18.** Si quis negotium peragendum vel pro qualicumque artificio intra provincia vel extra provincia ambolaverit, et in tres annos regressus non fuerit, et forsitan infirmitas ei emerserit, faciat scire per judicem, aut per missum suum; nam si hoc distolerit mandare, si filius reliquerit, habeant res ipsius in suo jure; et cuicumque filios, post transacto constitudo, cautionis, vinditionis aut qualicumque oblegationes de rebus patris sui fecerent, stabilem permaneat, et devita patris vel sua persolvat. Et si ipse postea recressus fuerit, jubemus ut nec a filiis suis recipiatur, nec res suas in potestatem habeat; quod si filius ipsius sine noditia vel jussione regis eum recollegere presumpserit, omnes res ipsorum, et patris substantia, ad curtem regia devolvantur. Et si filios non habuerit, et habuerit fratres, ipsi res ejus habeant; et si nec fratris habueret, habeant proximi parentes; et si nec parentis proximi non fuerent qui ei legibus succedere possent, post predictos tres annos curtis regiae succedant. Quod si habuerit oxorem, et intra suprascripto

constituto, hoc est tres annos, menime regressus fuerit, veniat ipsam ad palatium regis qui in tempore fuerit, et qualiter ei ipse maritandi licentia dederit aut causa ipsius ordinaverit vel tractaverit, ita facere debeat; nam sine permissum regis non presumat maritum ducere. Et si ipsi post tres annos inventi fuerent, potestatem habeat rex de eis judicare qualiter voluerit.

EXPLICIT DE ANNO OCTABO.

INCIPIT DE ANNO NONO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXI.)

VOLUMEN QUARTUM.

Ego in Dei omnipotentis nomine Liutprand excellentissimus rex Deo dilecte et catholice gentis Langobardorum reminiscor quoniam jam in superiore Edicti corpore adicere curavimus, licet in parvo, tamen in voluminibus tribus, id est in primo, in quinto, in octabo regni nostri anno, indictione undecima, quintadecima, et tertia, ea quae recta et secundum Deum tranquilla nobis conparuerunt. Nunc autem anno regni nostri, Deo protegente, nono, die kalendarum martiarum, indictione quarta, pertractantes omnia et recurrentes antiquioris Edicti capitula una cum judicibus et reliquis Langobardis fidelibus nostris, iterantes in quarto volumine supplere et augere previdimus que nobis juxta Deo recta conparuerunt.

(*I. De aetate, in quantis annis deveat esse legitima etas.*)

19. Hoc prospeximus, ut infra decem et octo annos non sit legitimus homo res suas alienandum: excepto, si pater ejus debitum dimiserit, habeat potestatem, una cum notitia principis terre istius, tantum de rebus suis dandum, quantum ispsum debitum fuerit, ut ei major damnietas propter onera solidorum non adcrescat; et ipse princeps qui pro tempore fuerit, propter Deum et animae suae mercedem dirigat personam Deum timentem de sui presentia, qui hoc ipsum sapienter consideret: ut ad ipsum infantulum aliqua damnietas contra rationem aut per negligentia menime proveniat. Et in nonodecimo anno sit homini Langobardo legitima etas, et quodcumque fecerit vel judicaverit de rebus suis, stabili ordine debeat permanere. Et hoc statuimus adque definimus, ut si cuicumque ante ipsos decem et octo annos evenerit egritudo, et se viderit ad mortis periculum tendere, habeat licentiam de rebus suis pro animam suam in sanctis locis causa pietatis, vel in senodochio, judicare quod voluerit, et quod judicaverit pro animam suam, stabilem deveat permanere.

(*II. De homicidium.*) **20.** Si quis liber homo, se defendendum, liberum hominem occiderit, etsi provatum fuerit quod se defendendum ipsum hominem occisessit, sic eum conponat, sicut in anteriore Edicto contenit, quod gloriosae memoriae Rothari rex facere visus est. Nam qui super alium ambolaverit, et sic eum pro quacumque causa occiserit, omnem substantiam suam amittat, et habeant heredis ipsius qui occisus fuerit: in hoc ordine, ita sane ut si minus fuerit ipsa substantia humicidae, quam anterior conpositio erat, aut nisi tantum, tunc et res suas perdat ipse humicida, et persona ejus tradatur ad propinquos defuncti; nam si amplius habuerit ipse humicida substantia, quam ipsa conpositio anterior erat, amittat omnes res suas, et accipiant heredis ipsius qui occisus fuerit in antea tantum, quantum conpositio antiqua fuit, et quod superfuerit medietatem habeat curtis regia, et medietatem heredis defuncti: et ipse humicidam animam suam liberit.

(*III.*) **21.** Si servus cum volontatem domini sui hominem liberum occiserit, et provatum fuerit, tunc ipse dominus omnes res suas amittat, in eo ordine sicut supra adnexum est. Et si dominus ejus negaverit quod per ipsius consilium factum non fuissit, purificet se ad legem Dei, et conponat ipsum mortuum sicut antea fuit consuitudo, et insuper ipsum servum tradat in manum parentibus defuncti.

(*IIII.*) **22.** Si mulier res suas consentiente viro suo aut communiter venundari voluerit, ipse qui emere vult, vel illi qui vindunt, faciant noditiam ad duos vel tres parentes ipsius mulieris, qui propinquiores sunt. Et si in presentia de ipsis parentibus suis mulier illa violentias aliquas se dixerit pati, non sit stabilem quod vindederit; nam si in presentia parentuum suorum vel judici qui in loco fuerit violentias se pati non reclamaverit, nisi volontate sua ipsas res se dixerit venundare, tunc ab illo diae omni tempore quod vindederit stabile deveat permanere: ita tamen ut ipsi parentes qui interfuerent aut judex in cartola ipsa manum ponant; et si contegerit casus ut ille maritus moriatur, et ad alium ambolaverit, stabilis permaneat ipsa vinditio. Scriva autem qui cartola ipsa scripserit, non aliter presumat scrivere nisi cum notitia parentum vel judicis, sicut supra dictum est: et sit aliter fecerit, sit ipsa vinditio vacua, et prefatus scriva sit culpavelis sicut qui cartula falsa scrivit.

(*V.*) **23.** Si quis servum aut ancillam suam in ecclesia circa altare amodo liberum vel liberam dimiserit, sic ei maneat libertas, sicut illi qui fulfreal in quarta manus traditus et amund factus est. Nam qui aldione facere voluerit, non cum ducat in ecclesia, nisi alio modo faciat qualiter voluerit, sibi per cartola, sibi qualiter ei placuerit.

(*VI.*) **24.** Si mulier libera servum tolerit, et parentes ejus intra anni spatium in ea vindicta dare neglexerit sicut in anteriore Edicto contenit, tunc, quandocumque post ipsum anni spatium inventa fuerit, sit ancilla palatii, et ipse servus ad puplicum replecetur, et filii qui ex eis nati fuerent curtis regiae omnino deserviant. Nam si parentis ipsius mulieris vel dominus servi conpleverent intra suprascriptum anni spatium quod anterior Edictus contenit, sic permaneat.

(*VII.*) **25.** Si quis causam habuerit, et sculdahis suo causam suam dixerit, et ipse sculdahis ei justitiam intra quattuor dies facere neclexerit, si ambo causatores de sub ipso sculdahis sunt, tunc conponat ei qui causam suam reclamavit ipse sculdahis solidos numero sex, et judici suo similiter solidos sex. Et si forsitan ille super quem reclamavit infirmus est, aut pro utilitatem suam in alia civitatem esse nuscitur, expectit eum dum revertitur aut de infirmitate sua convaliscit; et dum regressus fuerit aut de infirmitate convaluerit, si intra statutos quattuor dies menime eum ad justitiam faciendum distrinxerit, conponat ipse sculdahis, sicut jam dictum est, cujus causa est solidos numero sex, et judici suo solidos sex. Si vero talis causa fuerit, quod ipse sculdahis deliberare menime possit, diregat ambas partes ad judicem suum; et si judex ejus causam ipsam dilataverit, et intra sex dies inter eos per legem non judicaverit, conponat illi qui reclamavit solidos numero duodicem. Et si nec judex ipse deliberare non potuerit, diregat intra duodicem dies ambas partes in presentia regis; nam si aliter fecerit ipse judex, et intra duodicem dies, ut dictum est, justitiam non invenerit qui proclamavit, tunc conponat ei ipse judex solidos numero XII, et regi sit culpavelis solidos XX.

(*VIII.*) **26.** Si homenis de sub uno judice, de duobus tamen sculdahis, causam habuerit, ille qui pulsat vadat cum misso aut epistola de suo sculdahis ad illum alium sculdahis de sub quem ipse est cum quo causam habit; et si intra quattuor dies menime justitiam fecerit, conponat ipse sculdahis qui distringere

neglexit ei qui reclamavit solidos sex, et judici suo solidos numero sex. Et si talis causa fuerit quem deliberare non possit, dirigat eos intra sex dies ad judicem suum, secundum anteriorem capitulo: nam si, qualiter in superiore capitulo constitutum est, sibe sculdahis sibe judex non in omnibus conpleverent, conponat, qualiter supra adfixum est, illi qui causam suam reclamavit solidos sex, et judici suo solidos numero sex; et judex conponat illi cujus causa est solidos numero duodecim, et regi solidos numero xx.

(*VIIII.*) **27.** Si quis in aliam civitatem causam habuerit, vadat cum epistola de judice suo ad judicem qui in loco est; et si ipse judex ei justitia intra octo dies menime facere distrinxerit, aut non conpleverent, conponat illi qui causam suam reclamavit solidos xx, et regi alius xx. Et si talis causa fuerit quam deliberare menime possit, ponat constituto, et distringat hominem illum de sub sua judiciaria intra duodecim dies in presentiam regis venire; nam si aliter fecerit, et distringere neglexerit, conponat, sicut supra dictum est, solidos xl, medietatem regi, et medietatem ei qui causam suam reclamavit.

(*X.*) **28.** Si quis causam habuerit, et sculdahis aut judex ei secundum Edicti tinore et per legem judicaverit, et ipse stare in eodem judicio menime voluerit, conponat illi qui judicavit solidos xx; nam de ea causa quae per arbitrium judicata fuerit, et ipse sibi non credederit legem judicassit, et ad regem reclamaverit, non sit culpavelis. Et si judex contra legem judicaverit, conponat solidos xl, medietatem regi, et medietatem cujus causam fuerit. Et si forsitans judex causam per arbitrium judicaverit, et judicium ejus rectum non conparuerit, non sit culpavelis, nisi preveat sacramentum regi, quod non iniquo animo aut corruptus a premio causam ipsam non judicassit, nisi sic ei legem conparuissit, et sit absolutus; nam si jurare non presumpserit, conponat ut supra dictum est.

Et hoc statuimus adque difinimus, ut si de suprascriptis capitulis quae modo adfixemus qualicumque causae antea emerserunt aut facte sunt, in eo ordine finiantur et maneant sicut anterior fuit consuitudo, vel qualiter in antiquo Edicti corpore contenetur; quae amodo vero, id est a diae isto kalendarum martiarum, indictione quarta, evenerint vel fieri contegerit, sic terminentur et finem accipiant, sicut in presenti pagina statuere visi sumus: excepto de muliere libera quae servum tolit, et secundum

anteriorem Edicto condemnata non est, ubicumque inventa fuerit sit ancilla palatii, et filii ejus servi regis.

(*XI.*) **29.** Si qua mulier res suas venundare voluerit, non absconse, nisi in presentia principis aut judicis vel sculdahis, seu duo aut tres parentes suos secum habeant, et sic judicem roget, quia *Res meas volo vindere*; et ipsi parentes in ipsam vinditionem manum ponant, et ipsa se vinditricem faciat, sic et mundoald ei consentiat, et quod vendiderit stabilem sit. Scriba autem qui cartula ipsa scripserit non aliter presumat scribere, nisi cum notitia parentum aut judicis qui in loco fuerit; et si aliter fecerit, ipsa venditio vacua sit, et prefatus scriba sit culpavilis sicut qui cartula falsa scripsit, sicut supra.

EXPLICIT DE ANNO VIIII.

INCIPIT DE ANNO UNDECIMO

(Kalendis martiis, anno DCCXXIII.)

VOLUMEN QUINTUM.

Quoniam quidem superius in hoc Edicti corpore ea, quae nobis et nostris judicibus vel ceteris Langobardis congrua paruerunt, in quattuor voluminibus adjungere curavimus: et nunc si aliquit pro gentis nostre salvatione adhuc adicere possumus, credemus pro his Dei misericordia adipisci, et retributionem aeternam ab ipso Domino JESU CHRISTO nihilominus promereri. Ergo in Dei omnipotentis nomine ego qui supra L i u t p r a n d gentis Langobardorum rex, anno regni mei, Deo protegente, undecimo, die kalendarum martiarum, indictione sexta, hoc iterum in quinto volumine adjungere curavimus, id est

(Kap. primo.) **30.** De his feminis quae velamen sancte religionis suscipiunt, aut quae a parentibus suis Deo vovintur, aut ipse se elegunt religionis habitu, aut vestem monastiga induere vedentur quamquam a sacerdote consegrate non sint, sic nobis justum paruit esse pro Dei amore, ut in ipso habitu in omnibus perseverent, nec sit excusatio mali hominibus dicendo, quod sacrate non sunt, ideo si copolantur culpa non habent; sed, ut supra premisemus, quae talem signum super se, id est velamen et veste sancte Dei Genetrices MARIAE, quocumque genio in se suscipiunt, et postea ad saecularem vitam vel habitu transire nullatinus presumat. Quia considerare devit omnes cristianus,

quod si quiscumque secularis parentem nostram saecularem disponsat cum solo anolo, eam subarrat et suam facit, et si postea alter eam oxorem ducit, culpaviles invenitur solidos DC: quantu magis devit causa Dei et sanctae MARIAE anplerior esse, ut quae ipsum velamen vel habitu in se suscipiunt, in eodem deveant perseverare? Si qua vero femina contra hanc, quod nostra instituit excellentia, aegerit, aut maritum se copolaverit, perdat omnem substantiam suam, et deveniat ipsa substantia ad potestatem palatii; de persona autem ejusdem femine, quae talem malum comiserit, judecit rex qui pro tempore fuerit qualiter illi placuerit, aut in monasterio mittendo, aut qualiter secundum Deum melius previderit: simili modo et de victu vel vestimentu ejus ipse princeps ordinet qualiter ei placuerit. Si autem ille, in cujus mundio talis femina est, consentiens fuerit in suprascripto malo, et provatum fuerit, conponat widrigild suum, et ille qui eam tollere presumpserit, conponat in palatio solidos DC; si autem mundoald in ipso malo consentiens non fuerit, medietatem de ipsis DC solidis accipiat ipse, et medietatem rex. Qui autem talem feminam rapuerit, conponat solidos mille, ut precedat causa Dei solidis C; quoniam de raptus secularis femine conpositio DCCCC solidorum in Edicto leguntur. Ipsa vero quae non conservaverit ea quae superius legitur, et malo suprascripto consenserit, poene suprascriptae subjaceat.

(*II*). **31.** Si quis rapuerit qualemcumque femina libera saecularem, unde in anteriore Edicto legitur conpositio solidorum DCCCC, ita volumus, ut de illis quadrigentis quinquagenta solidis qui perteneunt ad parentes vel mundoald, ut accipiat ex ipsis solidis mundoald qui fuerit pro fatigio suo et exactione de ipsa poena solidos numero CL; reliquos vero CCC habeat ipsa femina, cui tales injuria aut detractio facta est. Si autem patrem aut fratrem ipsa femina habuerit, et in eorum mundium fuerit, tunc pater aut frater de ipsam conpositionem, quod sunt solidi CCCCL, faciant cum filia aut sorore sua qualiter voluerint; nam alter mundoald aut parentes sic dividant ipsam conpositionem, sicut supra statuimus.

(*III.*) **32.** De his qui de inlicito matrimonio nati sunt vel nascuntur, id est de matrinia, filiastra, vel cognata, quod est uxor fratris aut soror uxoris; quia et canones sic habent de duabus sororibus sicut et de duobus fratribus: qui de tale matrimonio natus fuerit heredes legitimus patri suo non sit, nisi

habeant ipsas res parentes propinqui; et si parentes propinqui non fuerint, succedat curtis regia.

(*IIII.*) **33.** Hoc autem, Deo jobante, statuere previdemus, ut amodo nullus homo presumat relicta de consoprino aut insoprino suo uxorem ducere. Si quis autem hoc, quod inlicitum est, amodo facere presumpserit, amittat omnem substantiam suam: et qui de tale conjugio procreati fuerint, legitimi heredes non existant, nisi parentes propinqui; et si parentes propinqui non fuerint, curtis regia succedat. Hoc autem ideo adfiximus, quia, Deo teste, papa Urbis Romae, qui in omni mundo caput ecclesiarum Dei et sacerdotum est, per suam epistolam nos adortavit, ut talem conjugium fieri nullatinus permitteremus.

(*V.*) **34.** Item hoc censemus atque precipimus, ut nullus presumat cummatrem suam uxorem ducere, sed nec filiam quam de sacro fonte levavit, neque filius ejus presumat filiam illius uxorem ducere qui eum de fonte suscepit, quia spiritalis germani esse noscuntur: et qui hoc malum facere temptaverit perdat omnem substantiam suam, et filii qui de tali inlicito matrimonio nascuntur heredes esse non deveant, nisi parentes propinqui, et si parentes propinqui non fuerint, curtis regia succedat.

Ubi autem inventi fuerint qui suprascripta inlicita conjugia contraxerint, de presenti separentur, et penae suprascriptae subjaceant.

(*VI.*) **35.** Si quis sine volontate regis in qualicumque civitatem contra judicem suum seditionem levaberit aut aliquod malum fecerit, vel eum sine jussione regis expellere quesierit, aut alteri homines de altera civitate contra aliam civitatem vel alium judicem, ut supra sine jussionem regis, seditionem fecerint, aut eum expellere sine regis voluntate quesierint: tunc ille qui in capud fuerit anime sue incurrat periculo, et omnes res suas ad puplico deveniant; reliqui autem qui cum ipso fuerint in malo consentientes, unusquisque conponat in palatio regi widrigild suum. Et si casa cujuscumque bluttaverint, aut res eorum tolerint qui cum palatio aut cum rege tenent, et fidem suam cum judicem in palatio conservent: conponat omnes res ipsas cui eas tolerit in actogild, et widrigild suum, ut supra diximus, conponat in palatio. Hoc autem ideo previdimus in presente pagina Edicti scribere, ut malum vitium non crescat, set amputemus, ut omnes in pace, et in gratia Dei et regis vivere valeant.

(*VII.*) **36.** Si quis dederit wadiam, et eam recepere neglexerit, conponat sicut in anteriore Edicto legitur. Et si ille qui ipsa wadiam acceperit reddere neglexerit per fidejussores, et aput eum remanserit, sic conponat, quomodo et ille qui wadiam suam recipere neglexerit.

(*VIII.*) **37.** Si quis alteri homini wadiam dederit, et antequam eam per fidejussorem liberit violenter de manu illius abstraxerit cui ea dedit, conponat ei cui ipsam wadiam abstraxerit solidos xxIIII. Hoc autem ideo adfigere precipimus, ne pro tali causa scandalum oriatur aut anima pereat.

(*VIIII.*) **38.** Si quis alii wadiam dederit, et voluerit eam per fidejussores suos recipere, et adduxerit ad eum qui wadiam recepit fidejussores unum, duo, vel tres, et ipse dixerit, quia *Nescio qui sint*, ut damno ei facere possit: tunc adducere ei deveat fidejussorem aut de illa civitate unde ipse est qui wadiam dedit, aut de illa unde ipse est qui suscepit; et si minime ita inventi fuerint, tunc suscipere deveat ipse qui wadiam accepit fidejussorem hominem liberum quem collivertus ejus cognitum habet, et dicit ei, quod *Ego scio quia ei credere potes;* et homo ille qui wadiam dedit damnum non patiatur.

(*X.*) **39.** Si quis alii homini wadiam dederit pro quacumque causa, et fidejussorem posuerit, et postea ad ipsum fidejussorem antesteterit aut pignus de manu tolerit, et provatum fuerit, conponat solidos xx.

(*XI.*) **40.** Si quis alii homini wadiam dederit et fidejussorem posuerit, et ipse fidejussor eum pigneraverit, et pignera ipsa ad creditorem ejus dederit, et postea ei ipse cujus pignera fuerit per virtute tolerit, conponat ipsa pignera in actogild.

(*XII.*) **41.** Si quis alium ante constitutum pigneraverit, et provatum fuerit quod ante constituto pignerasset, conponat ipsum pignum in actogild.

(*XIII.*) **42.** Si quis judex aut actor puplicus in qualicumque civitatem aut locum inter homenis qui aliquam discordiam habent trewas tolerit, et unus ex ipsis hominibus inter quos ipsas trewas tulta sunt eas ruperit: medietatem de ipsas trewas conponat in puplico, et medietatem illi cujus causa est. Et ipsas trewas non sint minus quam solidi cc; qui autem amplius forsitans pro majoribus causis ponere voluerit, sit ei licentiam.

(*XIIII. De donatione.*) **43.** Si quis alii homini qualiscumque rem donaverit, et launegild susciperit, et postea defendere minime potuerit: tunc aliam talem rem qualem donavit, qualis in illa die invenitur esse, reddat cui donavit, et amplius non calomnietur. Et si de conludio pulsatus fuerit, satisfaciat ad evangelia quod nullum conludium cum alium hominem de ipsa causa factum habeat, et sit solutus de culpa: sic tamen ut suprascriptam rem consimilem reddat cui donavit.

(*XV.*) **44.** De servus fugace et advena homine, si in alia judiciaria inventus fuerit, tunc deganus aut saltarius qui in loco est conprehendere deveat, et ad sculdahis suum perducat, et ipse sculdahis judici suo consignet. Et ipse judex potestatem habeat eum inquirendum unde ipse est; et si inventus fuerit quod servus sit aut fur, mox mandet ad judicem aut ad dominum ejus unde ipse fuerit, et habeat pro presura de ipso servo per caput solidos duos: si autem post inquisitam causam ipse homo qui conprehensus aut inquisitus fuerit liber aparuerit, nulla sit culpa ei qui eum presit aut inquisivit. Si vero deganus aut saltarius hoc facere distulerit, conponat solidos IIII, medietatem sculdahis suo, et medietatem cujus causa est; et si sculdahis neclectum posuerit, conponat solidos VIII, medietatem judici suo, et medietatem cujus causa est; si vero judex ad eum inquirendum vel mandatum faciendum unde ipse homo est distulerit, conponat in palatio solidos XII. Et si ille judex cui mandatum venerit neclectum fecerit ad ipsum hominem recollegendum, aut arimanno suo mandatum faciendum, quia *In tale loco homo tuo conprehensus est*, et hoc neclexerit, conponat in palatio solidos XII. Et sit spatium de ipso mandato faciendum, in istis partibus in uno mense; trans Alpes vero in partibus Tuscie in menses duo.

(*XVI.*) **45.** Si quis astalaria alterius capelaverit, conponat ei cujus astalaria fuerit solidos VI.

(*XVII.*) **46.** Si quis fossatum in terra alterius fecerit, et suam non potuerit provare, conponat ei cujus terra est solidos VI.

(*XVIII.*) **47.** Si quis sepe in terra alterius miserit, et suam provare non potuerit, conponat ei cujus terra est solidos VI.

(*XVIIII.*) **48.** Si quis liberum hominem foris provincia vindederit, conponat widrigild ejus tamquam si eum occisisset.

(*XX.*) **49.** Si quis servum alienum foris provincia vindederit, et provatum fuerit, in quadruplum eum conponat sicut appretiata fuerit ipsa persona.

(*XXI. De servo in sagramento misso.*) **50.** Si quis servum alienum sine voluntate domini sui in sacramento miserit, aut mano in caldaria mittere fecerit, conponat domino ejus solidos xx.

(*XXII.*) **51.** Si quis servum alienum in manu regis dederit, et provatum fuerit quod non suo servo dedisset, conponat regi qui pro tempore fuerit solidos c, et ipse servus revertatur ad proprio domino suo, et sit servus sicut antea fuerat; et insuper qui eum in manu regis dederit, conponat domino ejus solidos viginti.

(*XXIII.*) **52.** Si quis servum alienum sine volontatem domini sui liberum dimiserit aut per se aut qualitercumque, excepto per manu regis, et provatum fuerit quod servum alienum libertasset, tunc ipse servus revertatur ad proprio domino suo, et sit servus sicut antea fuit; et ille qui eum inlicite libertavit conponat domino ejus solidos xx.

(*XXIIII.*) **53.** Si quis servum alienum sine volontatem domini sui clerigaverit, conponat domino ejus pro inlicita presumptione solidos xx; et ipse servus revertatur ad proprio domino suo, et ipse dominus ejus habeat eum sicut voluerit.

EXPLICIT DE ANNO UNDECIMO.

INCIPIT DE ANNO DUODECIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXIIII.)

VOLUMEN SEXTUM.

Scimus enim et firmiter retinemus, quoniam qui per gradus et tempora in bono proficit opere, et semper ad meliora tendere videtur, quod Dei in eo operatur pietas, et ejus misericordia eum illustrat, „qui omnes vult salvos fieri, et ad agnitionem suae veritatis venire.“ Ergo si pro gentis nostrae salvatione aut pauperum fatigatione aliquid possumus conicere quod in Edicti corpore adjungamus, quam quam in quinque voluminibus adjunximus, credimus quod misericordia Dei in bono nobis pro hac causa retribuat; eo quod pro solo Dei timore et amore hoc facimus, ut omnes cause per rationem et justitiam terminentur, nec sit aliquis error, sed magis clarescat omnibus sua justitia, unde sine intermissione nomen Domini benedicatur.

Ideoque ego Liutprand in Dei nomine excellentissimus gentis Langobardorum christianae et catholicae rex, anno regni mei, CHRISTO protegente, duodecimo, die kalendarum martiarum, indictione septima, una cum judicibus et reliquis Langobardis fideli-

bus nostris hoc adjungere in Edicti curavimus pagina, in volumine quidem sexto; quod antea fuerat multis supervenientibus causis omissum: id est in primis.

(*I. De possessione.*) **54.** Si quis cartolam donationis per garethinx facta aut per susceptum launegild vel forte conparatione ostenderit, et res ipsas unde legitur non possederit, et dixerit quod ei monimen suum absentatum fuisset: si per triginta annos et super possessio ipsa fuerit, non habeat adversus eum qui possedit facundia loquendi cum monimen ipsum quod ostendere videtur, nisi ipse firmiter possedeat qui per triginta annos possedit; quia jam gloriose memorie Grimowald rege per xxx annorum possessio institutum est: nam si intra xxx annos possessio ipsa fuerit, pontificium habeat cum monimen suo dicendum quod voluerit, et ipse qui possederit secundum Edictum ei respondeat.

(*II.*) **55.** Si quis servum suum fulfrealem thingaverit et amund a se fecerit, vel quocumque modo eum a se absolserit, in manu regis dandum, aut in ecclesia circa altare ducendum, et postea ipse libertus voluntatem patroni sui fecerit, manifestare deveat libertus ipse libertatem suam sepius judici et ad vicinos suos, quod liber et absolutus esse videtur; et postea nullo tempore ipse patronus aut heredes ejus contra eum qui libertatus est querellas possint movere, dicendo quod ei deveat obedire, pro eo quod sua sponte pro beneficium de domino suo voluntatem ejus fecerat, set firmis et in sua permaneat libertas.

(*III.*) **56.** Si quis alium de furto pulsaverit, et per pugnam eum vicerit aut forte per districtione a puplico facta manefestata fuerit, et conpositio facta fuerit, et postea ipse furtus aput alium hominem inventus fuerit, et certa veritas apparuerit, quod ipse qui prius conposuerat rem ipsam non furavit: omnia quidquid ipse conposuit recipiat ab eo cui conposuerat, et ipse conponat aput quem furtus ipse postea inventus fuerit; nam si aliquit pro sagramentum suum dederit, habeat ipse cui dederit. Nam si certa veritas non apparuerit quod alter homo furtum ipsum fecissit, et per districtionem manefestaverit, et conposuerit, habeat sibi ipsam conpositionem cui conposuit.

(*IIII.*) **57.** Si quis devitum fecerit et res suas vindederit, et talis fuerit ipse devitum quod sanare non possit, et filius ejus per uxorem suam aliquid conquisierit, vel postea sibi per quocumque genio laboraverit posteus genitor ejus omnes res suas

venundavit, vel pro devito suo creditoribus suis dederit, aut a puplico intromissi fuerent: non habeant licentiam creditores ejus res quas filius de conjuge sua habere vedetur, vel quod postea conquisivit aut lavoravit, repetendum aut distrahendum, sed habeat sibi filius ejus jure quieto. Sic tamen ut si a creditoribus pulsatus fuerit, preveat sacramentum quod de rebus patris, aut matris suae, si ipsa in mundio patris ejus mortua fuerit, nihil aput se habeat, nec alicubi commendassit aut abscondissit, et sit absolutus; et si postea aput eum inventum fuerit de rebus paternis, conponat in actogild.

(*V.*) **58.** Si infans dum intra aetate est res suas cuicumque vindederit aut infiduciaverit, et postea cum in legitima aetate venerit secundum legem cartolam ipsam inrumpere voluerit, et in rebus ipsis introire: non habeat ponteficium qui emit aut infiduciavit quod dederat requirendum; quia quando conparavit aut infiduciavit tunc debuit perspicere quia puer ipse intra etatem erat, et contra legem faciebat: et posteus constitutum est, ut qui intra etatem fuerit menime vindere aut infiduciare possit, talem causam eum habere dicemus qui emit aut infiduciavit, qualem et ille habere vedetur qui de servo aut aldione emere aut infiduciare dignuscitur.

(*VI.*) **59.** Si quis gastaldius vel actor, curtem regiam habens ad gobernandum, ex ipsa curte alicui sine jussionem regis casa tributaria vel terram, silvam, vitis, vel prata ausus fuerit donare, aut si amplius quam jussionem fuerit dare presumpserit, vel si requirere neglexerit quod per fraudem tultum est: omnia ipse qui hoc contra jussionem regia facere ausus fuerit in dublum actogild conponat, sicut qui res regias furavit; et si ipse antea mortuus fuerit quam fraus ipsa appareat, heredis ejus conponant sicut supra legitur. Nam si per actorem fraus facta fuerit, et antea quam ad nostram perveniat noditiam fraus ipsa per gastaldium inventam fuerit, habeat ipse gastaldius de conpositione quam actor conponere devit partem tertiam, et duas partes sint in curtis regia. Et si per qualicumque hominem prius ad nostram pervenerit notitiam, quam per gastaldio inventa sit, tunc conpositio ipsa in integrum nobis et curti nostre perteneat. Quod si judex aut actor vel heredis eorum pulsati a nobis fuerint quod neglectum fecissint ad exquirendas res nostras, et ipsi dixerent quod ipsam fraudem nescissent et nullum neclictum fecissent, preveant in tali ordine sacramentum, et dicant, quia

per usum fuimus certi ad terminandum, nec in Edicti corpore ante insertae; proinde providimus eas usque ad diem suprascriptum kalendarum martiarum suspendere, dum usque nostri ad nos conjungerint judecis, et una cum ipsis certum ibi terminum deveremus inponere, unde postea nulla esset intentio, sicut et factum est, et subter leguntur capitula: primum omnium

(*I.*) **65.** De eo qui filiam in capillo in casa habuerit, et filium non reliquerit legetimum, ut de rebus suis amplius per nullum titolum cuiquam per donationem aut pro anima sua facere possit, nisi partis duas; tertia vero relinquat filiae suae, sicut jam gloriosae memoriae Rothari rex instituit. Quia qui thinx facit, et postea filiam nascitur, in tertiam partem ipsum thinx rumpit, secundum anteriorem Edictum; et si duas aut amplius, in mediaetate: ideo nos, dum in ipso Edicto legitur de thinx, quod est donatio, nobis conparit quod per nullam donationem nec per launegild possit filiam suam de ipsam tertiam portionem substantiae suae exherede facere, et si duas aut amplius fuerent, de mediaetatem.

(*II.*) **66.** De liberum hominem qui oxorem de servo aut de aldione suo, vivente ipso marito, tolerit, et filius aut filias exinde nati fuerent, nullatinus ei heredis succedant, sed nec libertatem suam habeant, nec per nullum genio ei de rebus suis aliquit facere possit; quia in duvium venit causam ipsam, cujus filius aut filia sit, quando ambo vivent, et dominus et servus, qui ante habuit et qui postea tolit.

(*III.*) **67.** Si quis alii cautionem fecerit, et non ei obligaverit de rebus suis, nisi dixerit in ipsa cautionem *in quibuscumque rebus ipsius invenire potuerit*, et postea vindederit alii homini de rebus suis, habeat ipse qui eas emit; nam si obligatae fuerit nominativae, non eas possit vindere dum ipsam cautionem non sanaverit. Et qui cautionem facere voluerit, aut nominatibae oblicet de rebus suis qualiter inter eos convenerit, aut faciat in ipsa cautionem de tantis rebus, quantum in illa diae solidi ipsi fuerit.

(*IIII*) **68.** De aldionibus, qui de persona sua aldionis sunt, si aliqua conpellatio facta fuerit, patrono ejus eum defendat, aut per sagramentum aut per pugnam, qualis causa fuerit.

(*V.*) **69.** Si aldius cujuscumque in casa alterius nesciente domino suo fuerit, cum inventus fuerit sic deveat dare homo ipse qui eum habuerit operas, quomodo et de servo.

EXPLICIT DE ANNO XIII.

INCIPIT DE ANNO QUARTODECIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXVI.)

VOLUMEN OCTAVUM.

Jam quidem septies in antico Edicti corpore aliqua praevidemus aucmentare capitula, quae nobis et nostris judicibus atque fidelibus secundum Deum recta conparuerunt. Nunc quidem, eo quod multae causae ad difiniendum incognitae erant, quia alii per consuitutinem alii per arbitrium judicare estimabant, ita previdemus, ut nullus error isse deberit, sed omnibus manifesta clariscere lex: ideoquae haec statuimus adnotare capitula, anno scilicit regni nostri, Deo largiente, quartodecimo, diae kalendarum martiarum, indictione nona. Quin etiam et judicis atque fedelis nostri de partibus Austriae et Neustriae nobiscum adfuerunt, et haec omnia inter se conlocuti sunt, et nobis renuntiantes nobiscum pariter statuerunt atquae definierunt; et cum presentaliter fuissent capitula ista relecta, omnibus placuerunt, et preventis adsensum statuerunt nobiscum, ut nihilominus per ordinem scriberentur.

(*I.*) **70.** Si inter fratres per XL annos possessio fuerit de rebus seu de casis vel de terris quae indivisa sunt, vel per parentes, qui per XL annos possedit, qualiter presumit dicere per sagramentum ad sancta Dei evangelia, quod de avio aut de patre aut de fratre, aut qualis parens fuerit, quod ipsas res suas factas habuit, aut per donatione, aut commutatione, aut conparatione, aut de extimatio, aut quomodo presumpserit dicere aut firmare, leceat eum postea ipsas res habere et possedere; alias vero res quae divisae fuerunt inter fratres aut nepotes, vel ubi mensura tracta est, sortes stantes adaequentur. Nam ubi per XL annos minsura menime ambolavit, et causa provata fuerit quod in jure quieto possedissit, sicut superius legitur per sagramentum finiatur, excepto si communiter aliquit possedent.

(*II.*) **71.** Si quis alio asto conpellaverit de pugna, quod solit fieri per pravas personas, preveat sagramentum ipse qui conpellat solus, et dicat juratus, quia non asto animo eum per pugna faticare querat, nisi quod certam habeat suspitione, sibe de furto fuerit, sibe de incendio, aut unde ipsa conpellatio agitur: et si hoc juraverit, postea vadat exinde pugna; si autem menime jurare presumpserit, non fiat ipsa causa per pugna judicata aut finita.

(*III.*) **72.** Si quis liber homo ad alium liberum hominem consilium dederit perjurare, aut casa alterius incendere ubi homo cum rebus suis inhabitat, aut mulierem alienam vel puella tollere vel rapere, et causa provata fuerit, conponat pro ipso inlecito consilio quod contra rationem ministravit solidos C: ita sane ut inter ista capitula quae diximus, unde conpositio datur per ipsum qui ipsut malum agit solidi DCCCC, ipse consiliator conponat solidos C; et unde conpositio fiet de solidos CCC, consiliator conponat solidos L; et si minus de tricentus solidis fuerit ipsa conpositio, consiliator conponat solidos XL, minus non: mediaetatem ex omnibus suprascriptis capitulis in palatio regis, et mediaetatem cujus causa fuerit. Et si ipse, de quo dicitur quod suprascripta mala consiliassit, vetare voluerit quod talem consilium non dedissit, preveat sagramentum cum legetimis sagramentalibus suis juxta qualis causa fuerit, et sit absolutus a culpa; nam per pugna non fatigetur: nam si rei veritas manifestata fuerit, conponat ut supra.

(*IIII.*) **73.** De donatione quae sine launechild aut sine thingatione facta est, menime stare deveat; quia etsi specialiter in Edictum sic non fuit institutum, tamen usque modo sic est judicatum. Ideo, pro errore tollendum, hoc scribere in Edicti paginam jussimus, et qui fuerit propinquus parens ipse succidat; et si ille supraestis fuerit qui ipsam donationem sine launechild dedit, possit eam a se recollegere: excepto si in ecclesiam, aut in loca sanctorum, aut in exeneodochio pro anima sua aliquit quiscumque donaverit, stabile deveat permanere; quia in loga sanctorum aut in exeneodochio nec thinx nec launechild inpedire devit, eo quod pro anima factum est.

(*V.*) **74.** Si infans dum intra aetate est res suas cum fratribus aut cum parentibus suis devidere voluerit, aut si ipsi cum ipso infante dividere voluerint, faciat judici noditiam, et ipse judex faciat venire parentis ipsius, et una cum ipsis aut per se ipsum aut per missum suum bonam personam Deum timentem res ipsas dividant, sic tamen ut omni tempore sortis stare debeant, et adaequatio percurrat.

(*VI.*) **75.** Si infans dum intra aetatem est causam habuerit cum qualemcumque hominem, similiter faciat judex parentis ipsius propinquos venire, et accedat aput locum cum ipsis parentibus, et deliberit causam ipsam per justitiam, et faciat noditiam in quorum presentiam causam ipsam deliberaverit, et judicatum suum emittat, ut ipse qui causam suam querit non perdat ju-

stitiam suam pro eo quod ipse infans intra aetate esse vedetur. Judex autem quomodo ordinaverit aut qualiter fecerit causam in his capitulis de eo qui intra aetate est, habeat retribotorem Deum omnipotentem sibe in bono sibe in malo; et missus ille quem judex direxerit pro diffiniendum causis quae supra precipemus, si in aliqua parte cur suum in fraude declinaverit, aut fecerit ea quae oportuna non sunt, ut ipse infans damnum habeat quae intra aetatem est, et non fecerit aequalitatem, et provatum fuerit quod fraudem fecissit, aut conludium contra ipsum infantem statuissit, de propido suo restaurit quod fraudolenter divisit. Hoc ideo proinde dicimus, ut infans ille, qui causam suam nescit legitime procurare, damnum non habeat.

(*VII.*) **76.** De religiosa femina quae vestem et habitum sancte religionis in se suscepit, si contegerit ex peccato ut adulterium volontariae comittat, qui ipsa sanctemonialem feminam adulteraverit conponat solidos cc: quia de saecularibus feminis Edictus contenet ut conponatur pro adulterium solidi c; et nos prospeximus veram esse justitiam ut in Dei omnipotentis causam vel sancte ejus genitricis MARIAE, cujus vestem suscipiunt, duplicentur. De autem pecuniam ejusdem religiose femine, quae, quod absit, volontariae adulterium penetraverit, sic fiat, sicut jam antea de religiosis feminis statuimus, quae se maritu copolaverit.

(*VIII.*) **77.** Si duo fratres, aut si pater et filius thingati fuerent, si unus ex ipsis sine filiis, filiabus, mortuos fuerit, curtis regia ei succedat. Ideo autem hoc scripsemus, quia etsi adfictum in Edictum propriae non fuit, tamen omnes judices et fidelis nostri sic dixerunt, quod cadarfeda antiqua usque nunc sic fuissit.

(*VIIII. De possessione.*) **78.** Qui aliquit de puplico habit, et per sexagenta annos quietos possedit, leceat eum in antea sine aliqua molestatione habere et possedere. Hoc autem ideo statuimus, quia possessio aliorum hominum secundum Langobardorum legem in xxx annos finitur; causas quidem regalis unde conpositio expectatur dublicatas statuit decessor noster ROTHARI rex conponere: propterea nobis rectum cum nostris judicibus conparuit esse, ut et in ista causa de possessione duplicentur ipsi anni, ut fiant LX. Et si aut judex aut actor noster ipsum quae possessionem talem habit pulsaverit quod ipsam rem injuste possedissit aut invasissit, et non sint conpleti LX anni: tunc ille cujus possessio est dicat juratus ad sancta evangelia aut de se

aut de patre aut de avio, quod ipsam rem per principem, qualem ausus fuerit nominare, ipse aut parentes ipsius per LX annos possedissit, nec eam per legem dimittere deveat, et sit postea securus. Et si hoc facere ausus non fuerit, aut forte gastaldius aut actor provare potuerit quod conpleti LX anni possessio ipsa non sit, et veritas apparuerit quod de puplico fuissit, aut ostendat preceptum, aut amittat ipsam rem si LX anni in ipsa possessione non fuerit conpleti. Et si forsitans aliquis de servo aut de aldione domno regis conparavit, et provata causa fuerit, relaxit ipsam rem in puplico: quia de servo aut de aldione regis possessio vinditionis esse non devit, sicut nec de aliorum servis vel aldionibus.

(*X.*) **79.** De eo homine qui cavallo in mercato conparare voluerit, ut ante duos aut tres homines eum emere deveat, nam non segrete; et si aliquis postea ipsum cavallum cognoverit, habeat testimonia in cujus presentia conparavit, et ei postea furti calomnia non fiat. Et si ad ipsos testes non credederit qui furtum querit, firment ipsi testes per sagramentum, excepto si tales hominis fuerent, quibus rex aut judex sine sagramento credere possit. Et si homenis non habuerit in quorum presentia conparavit, nisi simpliciter dixerit, quod *Conparavi de Franco*, aut *Nescio de qualem hominem,* conponat ipsum cavallum pro furtum.

(*XI. De furonibus.*) **80.** Ut unusquisque judex in civitatem suam faciat carcirem sub terra; et cum inventus fuerit, ipsum furtum conponat, et conpraehindat eum, et mittat in ipso carcire ad annos duo vel tres, et postea dimittat eum sanum. Et si talis persona fuerit, ut non habeat unde ipsum furtum conponere, debeat eum dare in manus illius cui ipsum furtum fecit, et ipse de eo faciat quod voluerit. Et si postea iterum ipse in furto tentus fuerit, decalvit eum et cedat per disciplinam, sicut devit furonem, et ponat ei signum in fronte et faciae; et si nec sic emendare voluerit, et post ipsas districtiones in furtum tentus fuerit, vindat eum foris provincia, et habeat sibi judex praetium ipsius; verumtamen ut provata causa sit, et non eum sine vera provatione deveat vindere.

(*XII.*) **81.** Si quis homo cavallum perdederit aut aliam qualemcumque rem, vadat ad judicem qui in loco positus est ubi furtum factum fuerit, et dicat ei omnia qualiter ei contegit; et si judex neclectum fecerit ad inquirendum ipsum furtum, conponat de proprio suo furtum ipsum. Et si dixerit quod nullum

neclictum fecissit, preveat sacramentum quod neclictum ad inquirendum non fecissit, nisi quod invenire non potuissit, et sit absolutus; quod si jurare ausus non fuerit, conponat ut supra ipsum furtum de proprio suo.

(*XIII.*) **82.** Si quis carrum et boves in silva sua invenerit, et lignamen superposito aut cum qualemcumque rem honerato, et ipsos boves aut carro conprehenderit et ad propriam suam duxerit, non sit culpavelis, pro eo quod in rebus suis eum invenit.

(*XIIII.*) **83.** De omnibus judicibus, quando in exercito ambolare necessitas fuerit, non dimittant alios homenis, nisi tantumodo qui unum cavallo habent, hoc est homines sex, et tollant ad saumas suas ipsos cavallos sex; et de minimis hominibus, qui nec casas nec terras suas habent, dimittant homenis decem, et ipsi homenis ad ipsum judicem faciant per ebdomata una operas tres, usque dum ipse judex de exercito revertitur. Sculdahis vero dimittat homenis tres qui cavallus habent, et tollant ad saumas suas ipsos cavallos tres; et de minoribus hominibus dimittant homenis quinque, qui faciant ei operas dum ipse reversus fuerit, sicut ad judicem diximus, per ebdomata una operas tres. Saltarius quidem tollat cavallo uno, et de minoribus qui ei operas faciat tollat homine uno, et faciat ei operas sicut supra legitur. Et si amplius judex vel sculdahis aut saltarius dimittere presumpserit homines sine regis permisso aut jussione, qui in exercito ambolare devit, conponat wirigild suo in sagro palatio.

Haec omnia superius conpraehinsa, quae antea per judicium finita et statuta sunt et terminum positum est, sic maneant sicut antea sunt statuta; quae autem amodo emerserent sic terminentur, sicut nunc in presenti Edicti paginam adfiximus.

EXPLICIT DE ANNO XIIII.

INCIPIT DE ANNO QUINTODECIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXVII.)

VOLUMEN NONUM.

Jam enim octo vicibus illa in antico Edicti corpore aucmentare previdemus, quae credimus Deo et bonis hominibus placita esse. Modo quidem una cum nostris judicibus et reliquis Langobardis fidelibus nostris, diae kalendarum martiarum, anno, Deo

protegente, regni nostri quintodecimo, indictione decima, iterum pro quietudine pauperum et omnium Langobardorum fidelium nostrorum tranquillitatem prospeximus in Edicti corpore illa adjungere, unde antea erat incerta difinitio, quoniam alii volebant per usum, alii per arbitrium judicare. Sed melius nunc est ut ille inponatur terminus unde nostri subjecti non fatigentur, et qualiter omnium unus fuit una nobiscum consensus, ita amodo et in futuro deveat permanere.

Primum omnium statuere previdemus pro christianae et catholicae legis defensione, quatinus nullus a fide Christi oberrare presumat, sed firmiter in ea permanentis Deum possemus habere defensorem atque propitium.

(*I.*) **84.** Si quis timoris Dei immemor ad ariolos aut ad ariolas pro aruspicis aut qualibuscumque responsis ab ipsis accipiendis ambolaverit, conponat in sagro palatio medietatem pretii sui sicut adpretiatus fuerit tamquam si eum aliquis occisissit, et insuper agat penitentiam secundum canonis instituta. Simili modo et qui ad arbore quam rustici sanctivum vocant atque ad fontanas adoraverit, aut sagrilegium vel incantationis fecerit, similiter mediaetatem pretii sui conponat in sagro palatio. Et si quicumque sciens ariolum aut ariolam, non eos manefestaverit, aut illos celaverit qui ad ipsos vadent et non manefestaverit, suprascriptae poene subjaceat. Qui autem servum suum aut ancillam ad ipsos ariolus aut ariolas transmiserit ad aliqua responsa ab eis recipienda, et provatum fuerit, suprascripta poenam conponat. Si vero servus aut ancilla sine volontate dominorum suorum, et tantum ex sua auctoritatem, ad ariolum aut ariolam ambolaverit similiter ad aliqua responsa accipienda, tunc dominus eorum venundare eos deveant foris provincia; et si neglexerit dominus eorum hoc facere, suprascriptae poene subjaceat.

(*II.*) **85.** Si quis judex aut sculdahis atque saltarius vel deganus de loco ubi arioli aut ariolas fuerit neglexerit amodo in tres mensis eos exquirere et invenire, et per alios homines inventi fuerent, tunc conponat unusquis de locum suum mediaetatem praetii sui, sicut supra legitur. Et si manefestatum fuerit quod sciat judex aut sculdahis vel saltarius aut deganus ubi ipsi arioli aut ariolas sunt, et eos non condemnaverit, aut premium tolerit, aut quasi causa piaetatis vel pro qualicumque genio eos absolserit, tunc integro wirigild suo in sagro palatio conponat. Nam si per judicim inquisiti aut inventi fuerent sine noditia de

sculdahis, tunc habeat ipse judex potestatem foris provincia eos vindendum, et praetium sibi tollendum atque habendum. Nam si per sculdahis inventi fuerent, mediaetatem de ipso praetio tollat judex et mediaetatem sculdahis; et si deganus aut saltarius ipsos ariolus aut ariolas vel suprascriptus sacrilecus invenerit, et sculdahis suo manefestaverit, tunc tertiam partem ipse saltarius aut deganus de ipso pretio per quem inventi fuerent habeat sibi, et duas partis tollat ipse sculdahis. Et ita prospeximus, ut unusquis judex et sculdahis faciat mittere preconem, ut qui usque modo ipsa nec dicenda opera egerunt, sibe masculus sibe femina, ut amodo non faciant; et si amodo non fecerent, non vadant venales: nam si post ipsum preconem in talibus malis operibus inventi fuerent, poenae suprascriptae subjaceant Et ita volumus atque precepimus, ut unusquis sculdahis et saltarius atque deganus jurare debeat judici suo ad sancta Dei evangelia, quod in ista causa nullum neclictum ponant; quia justum est ut, dum in nostra causa neclictum ponere non presument, nec nobis celare qui contra nos agent aut consiliant, quantum magis non debent neclictum in Dei causa ponere, quae plus est, ad inquirendum?

(*III.*) **86.** Si quis cavallum alienum in damnum suum invenerit, et juxta anteriore Edictum ad clausura minaverit, et illam rationem fecerit quam Edictus anterior cernit, sic exinde procedat judicium, sicut gloriosae memoriae Rotharit rex instituit; nam si amplius aliquid in ipso cavallo facere presumpserit quam Edictus anterior legitur, si ipse cavallus nihil mali passus fuerit, conponat pro ipsa inlecita presumptione, juxta qualis ipse cavallus fuerit, medietatem praetii quantum ipse cavallus appretiatus fuerit, pro ipsa inlecita presumtione, et ipsum cavallum sanum restituat dominum ejus. Nam si ipse cavallus mortuus aut lesus fuerit, sic conponatur, sicut in anteriore Edictum legitur, et insuper pro ipsa inlecita presumptione conponat ut supra.

(*IIII.*) **87.** Si quis cum servo aut aldione vel cum pertenentem alieno de qualiscumque rem convenerit sine noditia domini ejus, quae in anteriore Edicto non contenetur, et provatum fuerit quod res domini sui naufragassit, tunc reddat ipsam rem qui eam suscepit absquae praetio domino ejus, ita ut satisfaciat per sagramentum quod amplius exinde non tolissit. Postea dominus ejus faciat de servo aut de aldione suo quod illi placuerit.

(*V.*) **88.** De servis fugacibus, quia jam antea capitulum istum adfiximus, sed non est specialiter dictum in quali spatium dominus ejus eum perquirere debeat, ut justitiam faciat qui eum conpellat. Modo vero ita prospeximus, ut si fuerit in Beneventum aut in Spoliti, habeat spacium dominus ejus in mensis tres; quod si fuerit intra Tuscia, habeat spatium mensis duo; et si fuerit ista parte Alpe, habeat spatium perquirendum in mense uno, et faciat justitiam ei qui eum de servo suo conpellat.

(*VI.*) **89.** Si quis conjogi suae metam dare voluerit, ita nobis justum esse conparuit, ut ille qui est judex debeat dare, si voluerit, in solidos cccc, amplius non, minus quomodo convenerit; et reliqui novelis homenis deveant dare in solidos ccc, amplius non; et si quiscumque alter homo minus voluerit, quomodo convenerit. Et ipsa meta sub aestimatione fiat data et adpraetiata, ut nullo tempore exinde intentionis aut causationis procedant.

(*VII.*) **90.** Si quis res alienas, casas, aut terras, aut pecunia, aut familias malo ordine possederit, et per legem et justitiam et per judicium exinde victus et expulsus fuerit, aliud exinde non conponat, nisi retro tempos reddat frugis et laboris sub sagramento ab illo diae quod exinde conpellatio facta et manefestata est.

(*VIII.*) **91.** De scrivis hoc prospeximus, ut qui cartolas scribent sibe a legem Langobardorum, quoniam apertissima et pene omnibus nota est, sibe ad Romanorum, non aliter faciat, nisi quomodo in ipsis legibus contenetur; nam contra legem Langobardorum aut Romanorum non scribant. Quod si non sciunt, interrogent alteros; et si non potuerent ipsas leges pleniter scire, non scribant ipsas cartolas: et qui aliter facere presumpserent, conponat widrigild suum. Excepto si aliquit inter conlibertus convenerit, et quiscumque de lege sua subdiscendere voluerit, et pactionis aut convenentias inter se fecerent, et ambe partis consenserent, isto non inpotetur contra legem, quia ambe partis volontariae faciunt; et illi qui tales cartolas scribent, culpavelis non inveniantur esse. Nam quod ad hereditandum pertinet, per legem scribant. Et quia de cartola falsa in anteriore Edictum adfixum est, et sic permaneat.

(*VIIII.*) **92.** Si quis liber homo in terra aliena resedens livellario nomine humicidium fecerit, et fugam lapsus fuerit, tunc ille in cujus terra ipse humicida habitavit habeat spatium

in mense uno ipsum hominem perquirendum; et si eum invenerit, licentiam habeat ipsum hominem, quamvis liber sit, conpraehindendum, et tradendum in manus illius cui humicidium fecit. Et si hoc non fecerit, dare deveat mediaetatem de omnebus rebus movilibus, excepto tectoras, quas in ipsa casa ipse humicida habuit; quod si nec hoc voluerit facere ipse cujus terra est, dare deveat livellario nomine ipsa terra ei cui humicidium factum est, ut reddat ei exinde sicut ille reddebat qui ipsum humicidium fecit. Tamen de his trebus capitulis in illius sit potestatem elegendi cujus terra est, ut faciat exinde unam qualem voluerit.

(*X.*) **93.** Si quis mulierem aut puellam aut religiosa femina, quae in alterius mundium est, in sacramento mittere presumpserit, conponat mundoald ejus solidos numero L, et in palatio numero L.

(*XI.*) **94.** Si quis fream alienam sine volontatem de mundoald ejus movere de casa ubi inhabitat presumpserit, et alibi duxerit, conponat ille qui in caput est pro inlecita presumptione ad mundoald ejus solidos numero LXXX; et si liberi homenis cum ipso fuerent, conponat unusquis per caput solidos XX: servi autem in conpositione domini sui conpotentur. Nam si forte ille homo liber fuerit, qui ipsam fream de casa ubi est tolerit, et sibi uxorem duxerit, sic conponat, sicut gloriosae memoriae ROTHARIT rex in anteriore Edicto instituit.

(*XII.*) **95.** Si quiscumque liber homo ancillam suam pro religionis et munditiae causa vestem religiosam induerit, ut ei, sicut consuitudo terrae aestius est, inferendam aut oblationem per loga sanctorum deveat deportare, et contegerit ex peccatis ut quispiam homo eam oxorem ducat, ubicumque inventi fuerent separentur, et conponat ipse qui eam tolit oxorem domino ejus solidos XL, et illa revertatur in pristinum habitum. Quod si aliquis eam, quod absit, adulteraverit, simili modo conponat domino ejus solidos numero XL: quia Edictus anterior de gentile ancilla adulterata XX solidos contenit ut conponatur, de Dei quidem ancilla justum est ut conpositio dublicetur. Verumtamen sic statuimus, ut si provata causa fuerit per presveterum aut alium sacerdotem, quomodo ipsa vestem religiosa induta est, ut non fiat alicui homini calomnia pro figmento, sed pro certa veritate; et dum provatio vera facta fuerit, sic ipsa conpositio fieri deveat.

Haec autem omnia, quae modo in presente Edicti corpore adfixemus, si deinceps causa emerserit sic deveat fieri terminata, sicut nunc statuere visi sumus; quae autem antea emerserunt sic determinentur, sicut anterior institutio fuit.

EXPLICIT DE ANNO XV.

INCIPIT DE ANNO SEXTODECIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXVIII.)

VOLUMEN DECIMUM.

Pluribus jam quidem vicibus in antiquo Edicti corpore ea adjungere curavimus, quae pro salute animae et gentis nostrae salvatione esse prospeximus. Nunc alia, quae simili modo, ea considerantes, secundum Deum recte esse cognovimus, ut nec perjuria nec jurgia inter nostros emergant fideles, praevidentes una cum nostris judicibus atque fidelibus Langobardis, et modo presenti tempore, die kalendarum martiarum, anno, CHRISTO protegente, regni nostri XVI, *indictione undecima, iterum adjungere: Deum invocamus testem, non pro aliqua vana gloria aut laude humana querendum, sed Dei omnipotenti placendo, et nostros de errore tollendo subjectos.*

(*I.*) **96.** Si quis pro causam suam aliquid judici aut ad qualemcumque locopositus vel fidelis regi dederit, et viventem eum requisierit dicendo quod liberatum non sit, faciat illi justitiam post quantuscumque annos requisierit. Nam si post mortem ejus filius aut heredis pulsaverit, sic statuimus, ut si viventem patrem pulsavit proclamando ad regem, aut conpellandam per tales homines quorum fedis ammittitur, et veritas apparuerit quod pulsavit et justitiam invenire non potuit, faciat ei filii aut heredes justitiam sicut lex est, si intra anni spatium post mortem patris sui repetitionem suam ostendere potuerit; nam si suam reclamationem ostendere non potuerit, et anni spatium preterierit, aetiamsi pulsassit non habeat fagundiam filius aut heretis repetendo, nisi sit sibi contemptus: quia et de wadia et fidejussore de sagramento ita ROTHARI decessor noster in anteriore Edicto sic statuit, ut post anni spacium cujus pars neglexerit amittat causam suam; ideoque nobis congruum paruit, ut ipse qui sine wadia et fidejussorem repetire querit, post anni spacium facundiam non habeat repedendum.

(*II.*) **97.** Si quis alium pulsaverit de servo suo aut aldionem, quod furtum aut humicidium aut aliquod malum fecissit, si viventem ipso servo aut aldionem eum pulsavit et conpellationem fecit, faciat ei justitiam quandoque pulsatus fuerit. Nam si dum ipse servus advixerit dominum ejus non pulsaverit, nisi post mortem servi aut aldionis ipsius quesierit a domine ejus ut ei justitiam faciat, decrevimus ut nullam facundiam habeat requirendi, si vivente servo aut aldionem non pulsavit dominum ejus: quia injuste nobis apparuit, ut posteus servo aut aldionem ipsum inquirere non potest, ut ei aliquam justitiam faciat.

(*III.*) **98.** Si servus cujuscumque ancillam alterius tolerit, et dominus ancillae eam libertaverit et amund fecerit, aut si eam vindederit et qui eam emit doloso animo libertaverit, et servus ipse in servicium permanserit, amittat ipsa libertatem suam, et sit ancillam regis; et ipse qui eam libertaverit conponat regi aliam talem, aut precium quantum ipsa valuerit, eo quod conludium fecit. Servus vero ipse sit in potestatem domini sui, et ancillam ipsam faciat dominus servi suam cum pretium, aut qualiter regi optinere potuerit.

(*IIII.*) **99.** De puero intra aetatem decrevit clementiam nostram cum nostris judicibus vel reliquis Langobardis, ut sicut in alium hominem de rebus suis dum intra aetatem est donare non potest, ita nec regi donare possit antequam ad legitimam perveniat aetatem; quia de causam istam multe intentionis fuerunt.

(*V.*) **100.** Nulli sit licentiam qualevit mulierem, mundium ejus habens in potestatem, post mortem mariti sui ante anni spacium eam velare aut monachico habito induere. Et si ipsa, sua volontatem, ante anni spacium hoc facere disposuerit, veniat ad palatium regi, et dicat clementiae ejus volontatem suam; et interrogata vel inquisita diligenter a rege, per ejus permissum accipiat religiones velamen. Si vero ante anni spacium sine permissum regis quis hoc facere presumpserit, conponat regi widrigild suum; mundio vero mulieris vel res ejus propriae sint in potestatem palatii. Quia qui hoc ante anni spacium facere querit, propter logrum pecuniae vel saeculi hujus cupiditatem hoc facere querit, nam non ob amorem Dei, aut animae ejus salvandam; quia post mortem viri sui, dum dolor recens est, in quale partem voluerit animum ejus inclinare potest: nam cum in se revertitur, et carnis delictationis eis obvenerit, quod pejus

est, in adulterium cadit, et nec monacha esse invenitur nec laiga esse potest. Et si alter quiscumque homo in cujus mundium non est hoc facere presumserit, conponat widrigild suum in sagro palatium et ipsa cum rebus suis sit in potestatem mundoaldi sui.

(*VI.*) **101.** Si qua mulier religionis velamen induta fuerit, vel observata omnia qualiter in superiore capitulo adfixa sunt in monasterio intrare voluerit: si filius aut filias habuerit in quorum mundium esse inveniatur, cum tertiam portionem de propriis rebus suis intrit in monasterium, et post ovitum ejus remaneat in ipso monasterium ubi ipsa intraverit; si vero filius aut filias non habuerit, cum medietatem de rebus suis in monasterio intrare possit, si voluerit, et post ejus decessum maneat ipsam medietas in potestatem monasterii. Nam si in domum permanserit, potestatem habeat de rebus suis judicare pro animam suam, aut cui voluerit, tertiam portionem; duas vero portionis sint in potestatem ipsius ad quem mundium eius pertinet.

(*VII.*) **102.** Si quis Langobardus habuerit filium masculinum legetimum unum, aut filia legetimam unam aut plures, et, antea quam eas ad maritum tradat, ad mortem venerit, potestatem habeat ad filias suas per cartola donationis, si voluerit, usque ad quartam portionem de rebus suis judicare, et si judicaverit, stabilem permaneat; si vero duos filius legetimus habuerit, et filia una aut plures, septima portionem earum de rebus suis judicet, si voluerit; nam si vero amplius fuerit filii, per hanc rationem conpotetur. Si vero pater viventem eas ad maritum dederit, ordinet eas juxta legem qualiter voluerit.

(*VIII.*) **103.** Nulli sit licentiam conjugi suae de rebus suis amplius dare per qualemcumque ingenio, nisi quod ei in diem votorum in mepfio et morgincap dederit, secundum anteriorim Edicti pagina; et quod super dederit, non sit stabilem.

EXPLICIT DE ANNO XVI.

INCIPIT DE ANNO SEPTIMODECIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXVIIII.)

VOLUMEN UNDECIMUM.

Vicibus jam decem in volumina in antiquo Edicti corpore illa adicere curavimus, que Deo placita et genti nostre expedivilia esse

cognovimus; et nunc quidem, propter singulas vexationes que inter homines oriuntur, perspeximus etiam et modo adjungere que oportuna esse probantur. Et ita statuimus atque censuimus, ut a die isto kalendarum martiarum, anno regni nostri, Deo propitio, septimo decimo, indictione duodecima, sic debeat de istis causis judicium procedere; nam quod antea statuta sunt, modo menime revolvantur. Quia nobis sic constitit cum nostris judicibus tam de Austria et Neustria, et de Tusciae partibus, vel cum ceteris Langobardis fidelibus nostris: id est in primis

(*I.*) **104.** Si servus cujuscumque habens legitimam oxorem et aliam ancillam super eam duxerit, conponat dominus servi sicut Edicto de adulterio contenit ei cujus ancillam postea tolit; ancilla vero ipsa pro inlecita presumptione accipiat talem disciplinam a domino suo in presentia de domino servi, ut aliam ancillam hoc facere non presumat.

(*II.*) **105.** De his qui de inlecito matrimonio ante tempo nati sunt, et eis legetimi fratris sui volontariae partem dederunt, ita statuimus, ut si ei fratris sui legetimi volontariae partem dederunt, in ipso deveant permanere, et eos exhereditare menime deveant; nam pater non possit illos inlecitus neque per thinx vel per qualicumque conludium heredis instituere. Hoc autem ideo statuere previdemus, ut omnes homo qui vult accipiat oxorem legetimam, non inlecitas contraat nuptias. Si autem fratres non sunt, et parentis propinqui fuerent qui potuerunt legetime ad hereditatem venire, et usque modo tacuerunt, taceant et in antea: et nullam habeant contra eos qui possedit per xxx annos fagundiam loquendi, dicendo quod exherede esse debeant, nisi quod per xxx annos possederunt, possedeant.

(*III.*) **106.** Si quis aldiane alienam aut suam ad oxorem tollere voluerit, faciat eam widribora, sicut Edictus contenit de ancillam; nam qui sine ipsa ordinatione eam quasi oxorem habuerit, filii qui ex ea nati fuerent non sint legetimi sed naturalis.

(*IIII.*) **107.** Si plures homenis cartolam convenientiae inter se fecerent, et poena posuerent, et postea unus, duos, aut tres, vel amplius se de ipsa convenientiam subtraere se voluerent aut poena rupperent: unusquisque per caput conponat ipsa poena quam posuerunt in integrum, quia omnes unianimiter consenserunt, et nullus eos imperavit talis causam facere; ideo per caput conponant qui ruperunt ipsa poena, sicut per caput volontariae consenserunt.

(*V.*) **108.** Si quis fedejussorem aut devitorem suum pigneraverit, et ipsum pignum recollegere neglexerit, et eum per duodicem dies dimiserit, tunc ille qui pignum ipsum aput se habit, si servus aut ancilla est costodiat eum, ut ei fatiga non faciat, et faciat sibi eum operas facere sicut suum proprium servum aut ancillam; et super habeat licentiam repinerare usque in secundam vicem, ut sint ipsa pignera in dubblo quantum devitum ipse est. Et si per XXX dies pignera ipsa debitor aut fidejussor recollegere neclexerit, si in Neustria aut in Austria fuerent, amittat ipsa pignera, et non habeant facundiam requirendum; si vero in Tusciae partibus fuerit, habeat spatium in dies LX, nam si super sexagenta dies fuerit, similiter amittat pignera ipsa. Insuper potestatem habeat qui pigneravit causam suam per legem agere et procurare.

(*VI.*) **109.** Si quis permissum habuerit de devitotorem aut fidejussorem suum, ut per bove aut cavallus domitus pignerare possit, et pigneraverit, et intra duodicem noctis pignera sua devitor aut fidejussor recollegere neglexerit, potestatem habeat eas menare sicut suas proprias et governare; et si mortui fuerit, non requiratur. Nam si pulsatus fuerit quod iniquo animo plus quam suam animalia minassit, satisfaciat ei solus ad evangelias. Si vero per XXX dies ista parte Alpe, aut per LX dies illa parte Alpis dilataverent, et non recollexerent, sicut superius de servo aut ancillam statuimus, ita et de cavallus vel boves, aurúm vel argentum, vestimenta, aeramenta, ferramenta, aut animalia minuta, vel quolevit pignus fuerit, esse censimus.

(*VII.*) **110.** Si quis servum alienum aut ancillam loco pigneris tenuerit, et furtum aut humicidium vel quolevit malum fecerit, non repotetur proprio domino, nisi ei qui eum tenuit; quia posteus eum pro devitum suum conpraehindit, sic custodire devit, ut aliquo malo facere non possit. Si vero ancillam fuerit, et cum eam ipse qui pigneravit aut servus ejus adulteraverit ante prefinitum constitutum quod superius posuimus de XXX et LX dies, conponat adulterium ipsum domino ejus cujus fuerit ancillam; post constitutum vero XXX vel LX dierum spatium sit in potestatem ejus qui pigneravit, si ipse cujus fuerit recollegere neglexerit.

(*VIII.*) **111.** Si quis servum aut aldionem alterius per conludium conprehindere presumpserit, dicendo quod super furtum suum eum praesissit, aut tacito in curtem suam noctis tempore

invenissit, et conludius ipse apparuerit, et certa fuerit veritas adprovata: conponat ipse qui eum adpraehindere per talem ingenio presumpserit ei cujus fuerit servus aut aldius quantum ipse conponere debuit, si absque conludium aut fraudem eum presissit, id est furtum ipsum quod querebat in actogild, et pro inlecita presumptione solidos quadragenta; et si furtum non repetierit, nisi de tacito in curtem suam conpraehinsus dixerit, conponat solidos quadragenta, si ipse conludius apparuerit.

(*VIIII.*) **112.** De puella unde antea dixemus, ut in duodecimo anno legitima sit ad maritandum, sic modo statuimus, ut non intrantem ipso duodecimo anno, sed expleto, sic sit legetimam ad maritandum. Ideo nunc hoc dicimus, quia multe intentionis de causam istam cognovimus; et apparit nobis, quod inmatura causa sit ante expletus duodicem annos.

(*X.*) **113.** Si quis Langobardus voluerit in filios suos sibi bene servientibus aliquid largiri, habeat licentiam in hoc modo: ut si fuerint duo filii, tertiam partem supstantiae suae possit meliorare eum, qui ei bene et secundum Deo ovediens fuerit et servierit; et si tres fuerent, habeat licentiam quartam partem meliorare quem voluerit; et si fuerent quattuor filii, tribuat quintam partem; et si fuerent quinque filii, sextam partem; et si fuerent sex, septimam; et si amplius fuerent, per hoc nomiro percurrat: ut semper qui pater est vicorem habeat, qualiter ei filii sui recte, ut diximus, obediant et serviant; et si ei todi bene servierint, habeant aequalitatem substantiae patris. Quod si forsitans quiscumque secundam aut tertiam mulierem duxerit, et habuerit filios et de anteriorem conjoge et de sequentem: non habeat potestatem illos posteriores, quorum mater vivit, meliorem facere dum ipsa advixerit, ne dicat aliquis quod per ipsa mulierem talis soasio facta fuissit; defuncta autem mulierem pater licentiam habeat facere sicut supra legitur. Quia credimus secundum Deum esse, ut dum servus qui bene serviunt melioratus vidimus et remuneratus a dominis suis, quam illos qui recte non serviunt: quantu magis debent fieri recta causa, ut homo filium suum meliorare et remunerare possit, qui ei melius servierit?

(*XI.*) **114.** Si puella sine volontate parentum absconse ad maritum ambolaverit, et ei meta nec data nec promissa fuerit, et contegerit ut maritus ipse antea moriatur quam mundium de eam faciat: contenta sit ipsa mulier, nec possit postea metam querere ab heretibus ejus qui defunctus est; pro eo quod ne-

clegenter sine volontate parentum suorum ad maritum ambolavit, nec fuit qui justitiam ejus exquireret.

(*XII.*) **115.** Si quis possederit qualiscunque rem movilem aut inmovilem per cartolam falsam, et adprovatum fuerit quod per ipso monime falsum rem ipsam possederit, non eum defendat possessio sua, hoc est XXX annorum, nec excludat illum cujus res legibus fuit, sed amittat ipsam rem quam per cartolam falsam possidet, si tamen, ut diximus, adprovatum fuerit, et ille ipsam recipiat, cui antea per legem pertinere debuerat.

(*XIII.*) **116.** Si quis commutaverit terram aut pratum vel silvam, et inibi laboraverit, et aedificium fecerit, aut clausura aut vinea posuerit, et postea surrexerit tertius homo qui ipsum locum suum faciat, et eum ille qui dedit defendere non potuerit, recipiat rem suam quam dedit; et insuper ille qui dedit, et menime potit defendere, ipsum damnum ei restituat, quantum adpretiatus fuerit quod ibidem postea laboravit vel edificavit. Sed et de conparationem statuimus sicut de cummutationem. Hoc autem de his causis dicimus, unde cartolam commutationis aut vinditionis homenis inter se non faciunt; nam unde cartolam faciunt et ostenduntur, sic deveat esse sicut in ipsa cartolam legitur.

EXPLICIT DE ANNO XVII.

INCIPIT DE ANNO NONODECIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXXI).

VOLUMEN DUODECIMUM.

Superstitiosae et vanae contentiones assidue nostram inpulsare clementiam non cessant. Et dum ad resecandas intentiones inproborum noster intenderit animus, quicquid nobis cum nostris judicibus vel reliquis Langobardis recta conparuerunt, sicut XI *jam vicibus a nobis alia statuta sunt, ita et nunc in presente nonodecimo anno regni nostri, die kalendarum martiarum, indictione quartadecima, decidere et confirmare in hujus Edicti pagina previdimus; ut si amodo de his capitolis quae subter adnexa sunt aliqua intentio excreverit, sicut statuimus ita finiantur atque determinentur.*

(*I.*) **117.** Si infans ante decem et octo annos, quod nos instituimus ut sit legetima etas, spunsalia facere voluerit, aut sibi muliere copolaverit, habeat potestatem et metam facere, et morgincap dare, juxta Edicti tinore, et oblicationem facere, et fidejussore ponere, et carta, si voluerit, pro causa ista scrivere; et qui fidjussoris stederent, aut scriva qui pro causa ista cartam scripserit, nulla exinde habeat damnationem: quia nos ideo usque ad illam etatem perduximus causam de infantibus, ut ipsi res suas non deveant naufragare aut disperdere; nam pro ista conjunctio quam Deus precepit, absolvimus ut fiat.

(*II.*) **118.** Recolimus enim quod statuimus cum nostris judicibus, ut qui hominem liberum occiserit omnem substantiam suam amittat. Modo vero, dum repetirent singolis homenis, cui forte aliquam duritiam detenebant, quod parentis ejus qui in lectulum suum mortuos fuerat per veninum occisissit, et dum per pugnam ipsam causam, sicut antiqua fuerat consuitudo, querere disponebat: gravis causa nobis esse conparuit, ut sub uno scuto per pugnam omnem substantiam suam homo amitterit. Ideoque statuere previdemus, ut si amodo talis causa emerserent, quis ille mortem parentis sui querere per pugnam voluerit, quod eum per veninum occisissit, observata ea que in anteriorem Edicto scripsemus, ut per evangelia afirmit quod non asto animo causam ipsam querat, nisi quod certa ei sit suspectio, potestatem habeat querere per pugnam, sicut antiqua fuit consuitudo. Et si ei ferita venerit cui crimen ipsum inmettitur, aut ad camphionem ipsius quem conductum habuit, non amittat omnem substantiam suam, sed conponat eum secundum qualitatem personae, sicut antea fuit lex conponendum. Quia incerti sumus de judicio Dei, et multos audivimus per pugnam sine justitia causam suam perdere; sed propter consuitutinem gentis nostre Langobardorum legem ipsam vetare non possumus.

(*III.*) **119.** Si quis filiam suam aut sororem sponsare voluerit, habeat potestatem cui voluerit, libero tamen hominem, sicut anterior contenit Edictus; nam posteus eam sponsaverit, non habeat potestatem alteri homeni eam ad maritum dandi ante bienni tempus: et si dare cuilevit presumpserit, aut ipsa spunsalia inrumpere voluerit, conponat sponso ipsius sicut inter se poena posuerunt, qualiter in anteriorem Edicto legitur pagina; insuper in palatium regis conponat widrigild suum, et ille qui eam tolleri presumpserit conponat similiter in palatio widri-

gild suum. Si vero sine volontatem patris aut fratris eam tollere presumpserit, qui jam alteri est disponsata, conponat sponso ejus dubbla meta, sicut Edictus anterior contenit, et in palatium regis conponat widrigild suum; pater vero aut frater, qui in tali causa non consenserunt, sint soluti. Puella vero ipsa qui suam volontatem hoc facere presumpserit, si aliqua ei portio ex parentum successionem devetur, amittat ipsam portionem suam, et nuta et vacua de rebus parentum suorum vadat, et ipsi succedant qui per legem succedere possent; nec possit ei pater aut frater per quolevit genium aliquid dare, aut hereditatem relinquere. Quia excrevit vicium hoc in gentem nostram pro cupiditatem pecuniae, et ideo eum resegare volumus, ut inimicidias cessent et faida non habeant. Si autem, quod absit, post sponsalia facta talis inter parentis ipsius excreverit inimicitias, qualiscumque causam intervenientis, ut humicidium de parentem ipsorum proveniat, unde duritiam inter se teneant: si dare aut tollere voluerit, conponat pars qui neclexerit sicut statutum inter se habuerunt, et sint absoluti; quia non est bonum ut ibi quispiam deveat dare filiam aut sororem vel parentem suam, ubi vera inimicitiam humicidii esse provatur.

(*IIII.*) **120.** Contenit autem anterior Edictus de fream suam, qui eam male tractaverit ut amittat mundium ipsius; et non dicit qualis sit ipsa mala tractatio. Proinde providimus dicere, qualis sit ipsa mala tractatio: id est si eam fame negaverit, aut vestimentum vel calciamentum secundum qualitatem pecuniae non dederit, aut ad servum vel aldionem alterius eam oxorem dare presumserit, aut eam battederit turpiter, excepto si infans fuerit pro honesta disciplina, ostendendum muliebre opera aut ad vicium malum emendandum, sicut de propriam filiam suam, et si eam in indicebilem operam quoacta minaverit, aut si ipsa adulteraverit; omnia haec qui facere presumpserit, male tractata esse edicimus. Insuper et addimus, ut nec ad liberus homenis eam ad maritum absque ejus voluntatem dare presumat: quia pejus tractata esse non potest, si illum verum tollit, quem ipsa non vult. Ideo statuimus, ut propter plagas et feritas, si fecerit, vel de adulterium, conponat eidem femine sicut Edictus contenit, et mundium ejus amittat.

(*V.*) **121.** Si quis admodum inventus fuerit cum uxorem alienam turpiter conversari, id est si manos in seno aut ad pectum ejus miserit, vel ad alium locum unde turpe esse potest,

eum consensum ipsius mulieris, et provatum fuerit, conponat qui hoc malum penetravit widrigild suum ad maritum ipsius mulieris; si autem causa non fuerit provata, nisi tantummodo quispiam de suspecto alium de oxorem suam conpellaverit, habeat licentiam ipse qui conpellat aut ad pugna aut ad sagramentum ipsum hominem querere qualiter voluerit. Si vero ipsa mulier in hac inlecita causam consentiens fuerit, potestatem habeat maritus ejus in eam vindicta dare, sibi in disciplina, sibi in vindicionem ubi voluerit; verumtamen non occidatur, nec ei sematio corporis fiat. Si quidem forsitans talis ipse fuerit liber homo, qui non habeat unde conpositionem faciat, tunc puplicus deveat eum dare in manum mariti ejus, et ipse in eum faciat vindicta in disciplinam et in vindicionem, nam non in occisionem aut in semationem. Si autem aldius aut servus alienus hoc malum in libera mulierem facere presumpserit, tunc patronus ejus conponat ad marito ipsius mulieris solidos LX, et ipsa persona dit ei in manu. Si vero servus aut aldius alienus per volontatem domini sui hoc malum fecerit quod supra scriptum est, et provatum fuerit quod ipse dominus consensit, conponat, sicut supra, widrigild suum, sic tamen ut ipse servus aut aldius in ipsa conpositionem tradatur. Et si provata causa non fuerit de domini ejus volontatem, tunc ipse dominus servi aut aldioni pureficet se per sagramentum cum legetimis sagramentalibus, ut in ipsum malum consentiens non fuissit, et sit absolutus; et tantum fiat sicut supra premisimus vel statuimus de servo vel de aldionem.

(*VI.*) **122.** Si quis miser et insipiens homo presumpserit sponsare mulierem habentem vero, sibi ipse vir ejus egrotus sit sibi sanus, sicut modo et nobis talem causam adnuntiatam est, et provatum fuerit, conponat ipse qui hoc fecerit widrigild suum ad maritum ejus; et ipsa suscipiat in se talem condemnationem, qualem superius diximus de illam mulierem, qui se turpiter adtractare permittit.

(*VII.*) **123.** Si quis fororem accepto battederit hominem liberum aut mulierem liberam aut puellam, qui in scandalum ubi veri litigant venirent, et per ipsas feritas ponderosus vel ponderosas effecti fuerent, sicut et modo factum audivimus, conponat medietatem pretii ipsius masculi tamquam si eum occidissit; de feminas semilem modo medietatem pretii tamquam si fratrem ejus occidissit: excepto si plagas aut feritas fecerit, conponat sicut anterior Edicto legitur.

(*VIII.*) **124.** Si quis aldium vel aldiam, servus vel ancillam battederit, et per ipsam batteturam ponderosi facti fuerent, medietatem pretii conponat domino vel patrono eorum tamquam si eum occidissit; excepto plagas aut feritas sic conponat, sicut in anteriorem Edicto legitur.

(*VIIII.*) **125.** Si quis malitiose et per superva, sicut et modo factum esse cognovimus, mulierem aut puellam liberam sedentem ad necessitatem corporis sui, vel in alium locum ubi ipsa femina pro sua necessitatem nuda esse vedetur, pungere vel percutere presumpserit, conponat ad mundoald ejus solidos octuacenta; et si aldius aut servus fuerit qui hoc facere presumpserit, conponat dominus ejus solidos LX, et ipsam personam qui hoc malum fecerit tradere deveat in manu de mundoald ejusdem femine.

(*X.*) **126.** Si aldius cujuscumque aldia alterius tolerit ad oxorem, et filii de ea procreati fuerent, et mundium ex ea non fecerent, sint filii ejus aldionis cujus et mater fuerit. Nam posteus mundium fecerit, et filii nati fuerent, sicut anterior Edictus contenit patre sequantur; et talem legem habeant cum patrono suo, qualem et pater eorum habuit.

(*XI.*) **127.** Si quis Romanus homo mulierem Langobardam tolerit, et mundium ex ea fecerit, et post ejus decessum ad alium ambolaverit maritum sine voluntate heredes prioris mariti, faida et anagrip non requiratur; quia posteus Romanum maritum se copolavit, et ipse ex ea mundium fecit, Romana effecta est, et filii qui de tale matrimonio nascuntur secundum legem patris Romani fiunt, et secundum legem patris sui vivunt. Ideo faida et anagrip menime conponere devit qui eam postea tolit, sicut nec de alia Romana.

(*XII.* **128.** In anteriore Edicti nostri capitula adfixemus, si wadiam suam solvendam quispiam liber homo tres fidejussoris habuerit liberos homines, et ipse qui wadiam suscepit reddere neclexerit, sic conponat sicut ille qui non habuerit fidejussores paratus. Modo vero, dum pravus homines cognovissimus talis fidiussores velle statuere qui nihil habuerent, nisi sulumodo personam suam, ut per eos justitiam suam creditur ipse invenire menime possit: statuimus, ut talis esse deveant fidiussoris ipsi, ut si amplius non habuerit quomodo eum pignerare possint quam ipsa oblicatio sit, vel tantum habeant, quantum, ut diximus, ipsa oblicatio est unde fidiussores intervenire debeant; nam si minus

habuerit, non sît culpavelis ille qui eum recepere noluerit, nec ipse qui dare devit possit se excusare a culpam dicendo quod fidejussores paratus habuissit: quia inpossebilem est, ut talis fidiussoris homo recipiat, qui non habent, etsi amplius non, vel quantum ipsum devitum fuerit, quod tollere locum pigneris possit. Et si de presenti habuerit unde dare talis fidiussoris qui recipiendi sunt, ecce bene; si autem ipsa ora non habuerit, sit spacium de ipsam wadiam tres dies sine culpam, et postea debeat dare talis fidiussores qui habeant unde persolvant quod devitor dare debuit; si vero amplius dilataverit fidejussoris dandum, sicut antea statuimus sic conponat.

(*XIII.*) **129.** Interventientem vanissima et superstitiosa vel cupida soasionem et perversionem, apparuit modo in his temporibus, quae inlecita nobis vel cunctis nostris judicibus conjunctio essc paruit, quam adulte et jam mature aetate femine copolabant sibe puerolus parvolus et intra etatem legetimam, et dicebant quod vir ejus legetimus esse deverit, dum adhuc se cum ipsa miscere menime valerit. Nunc itaque statuere previdimus, ut nulla amodo femina facere presumat, nisi si pater aut avius pueri cum legetimi parentis puelle hoc facere previderit; nam si puer post mortem patris aut avii sui intra aetatem remanserit, et ei se qualiscumque femina, antequam ipse puer tertiodecimo anno conpleat, copolare presumpserit, dicendo quod legitimus maritus ejus esse debeat, inrita sit ipsa conjunctio, et separentur ab invicem. Femina vero ipsa revertatur vacua cum obproprium suum, et non habeat potestatem alio viro se copolare dum ipse puerolus ad aetatem suprascripta pervenerit: si quidem, ipsa inpleta etatem, puer ipse sibi eam oxorem habere voluerit, habeat licentiam; et si eam noluerit, tollat sibi alteram qualem voluerit aut potuerit. Illa vero, si ad alium maritum ambolaverit et ipse puerulus eam habere noluerit, non ei possit vero suo qui eam tollit pleniter mefio dare sicut ad aliam puellam, sed tantummodo mediaetatem sicut ad viduam mulierem. Qui vero puerum ipsum suaserit, sibe parentis ejus sint, sibe extraneos homo, conponat solidus centum, medietatem regi, medietatem ad ipsum puerolum.

EXPLICIT DE ANNO XVIIII.

INCIPIT DE ANNO VICESIMO PRIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXXIII.)

VOLUMEN DECIMUM TERTIUM.

Haec sunt leges quas gloriosissimus Liutprand addidit princeps.

Incipit capituli de anno XXI, *kalendis martiis*, *indictione* I, *domni Liutprandi Regis.*

(*I.*) **120.** Si quis dixerit conjugi suae malam licentiam dandum, quia: *Vade, cumgumbe cum talem hominem;* aut si dixerit ad hominem: *Veni, et fac cum mulierem meam carnis comixtionem;* et talem malum factum fuerit, et causam provatam quod per ipsum maritum factum sit: ita statuimus, ut illa mulier, qui hoc malum fecerit et consenserit, moriatur, secundum anteriorem Edicto, quia talem causam nec facere debuit nec celare; quia si vir ejus cum ancillam suam aut cum alia femina adulterassit, mulier ipsa ad palatium et ad judicis habuit proclamare: ideo tacere hoc nequaquam debuit, quando ei primo fuerat dictum; propterea, ut diximus, moriatur, secundum anteriorem Edicti pagina. Ille autem vir ejus, qui ei tam malam licentiam dedit, aut alteri homeni dixit et auctoritatem tribuit in mulierem suam talem malum perpetrandum, conponat ad parentis ipsius mulieris suae tamquam si in scandalum occisa fuissit; quia et ipsa ex peccatis in scandalum cucurrere visa est quandum ad hoc malum penitrandum accessit, quia in majorem scandalum currere non potuit, quandum se ad mortem traxit: ideo, ut premisemus, conponat vir ejus sicut supra statuimus. Et res ejusdem mulieris, si filius habuerit, ipsi habeant; et si filios non habuerit, revertatur ad parentis ipsius mulieris; eo quod credimus quod talem malum ideo querat miser homo facere, ut ipsam mulierem perdat et res ejus habeat. Ille autem homo qui ipsam mulierem alienam adulteraverit, quamquam cum vir ejus consilium, fiat traditus in manus ad parentis ipsius mulieris, nam non in manu veri sui qui talem malum consensit vel consilium inlecitum dedit. Item de causam istam quem supra premisemus, si consilium aut licentiam data fuerit ad mulierem, et ipsa non consenserit, et manefestaverit, et causam ipsam et ipsam operam malam facta non fuerit: tunc ipse vir ejus, qui ei talem licentiam et consilium dederit, conponat sicut antea in Edictum adfiximus quomodo qui alii malum consilium dat, id est solidos L; quia

adhuc major malitia est quando homo ad molierem suam inlecitum consilium tribuit, quam si ad alterum hominem malum consilium dedissit.

(*II.*) **131.** Si quis comendaverit res suas in cujuscumque casa de conlibertos suos libero hominem, et contegerit ut adveniens fur res ipsas furaverit, et ipse in cujus casa ipsas res fuerunt reddederit, aut si non redderent tamen reddere debit. Et nos ita statuimus et diffinimus, ut qui res alienas comendatas susceperit, et eas perdederit, restituat res ipsas cui fuerent; et si postea ipse furtus inventus fuerit, ei conponat ipse furtus de cuius casam ipsas res rapuit aut furavit. Quia ideo hoc prospeximus, quoniam si illi conponat ipsum furtum cui res ipsas fuerit, postea ille cujus casam rupit quereret rupturam case suae; et non possumus in unam causam duas calomnias inputare. Ideoque sic nobis justum fuit, ut ille qui res suas comendavit recepiat eas ab ipso, de cujus casa perierunt; et ipse de cujus casa perierunt aut ipsum furtum exivit querat ab ipso furone conpositionem, et tollat sicut lex est: et ipse fur, lecit malefactor sit, non habeat de una causa duas calomnias.

(*III.*) **132.** Si quis fraudolenter tolerit ancillam alienam, et dixerit quod eam servus aut aldius ipsius tolissit ad oxorem, et postea veritas clarificata fuerit quod non eam ipse servus aut aldius tolissit: tunc, primum omnium, reddat ipsum mancipium cujus fuit et sit ejus ancillam cujus antea fuerat; et ille qui hanc fraudem fecerit dit insuper aliam talem ancillam aut aldianem eidem homeni cui fraudem fecit, et reddat operas de ipsa ancillam quam fraudolenter tolit, quamdiu eam habuit aput se.

(*IIII.*) **133.** Si quis liber homo in casam alienam introierit ad resedendum et ei censum reddendum, et postea aliquid emerit de illis rebus quas secum adduxit quando in ipsam casam introivit, aut forsitans habuerit res de mulierem suam et exinde emerit, et provatum fuerit; tunc ipsum negotium dimittat in ipsam casam, et recipiat pretium suum. Et ipsa provatio in hoc ordine deveat fieri, ut quando de rebus mulieris suae aliquid conparaverit, adducat homenis qui sciant quod ipsum precium de rebus mulieris suae sit; ut causam ipsam non veniat ad perjurium, sed quando voluerit jurare quod de rebus mulieris suae conparationem facta fuissit, et illi testis firmiter sciant et jurent, quia *Interfuimus quando ipsa conparatio de rebus mulieris ipsius facta est:* et sic postea recipiat pretium suum, et ipso negotium re-

maneat in ipsa casa. Nam si de illo laborem conparaverit quod postea laboravit aut fecit posteus in ipsam casam ad censum reddendum introibit, in ipso cespite dimittat ubi laboravit. Hoc autem ideo nunc adfiximus, quia tantumodo causa ista in hoc modo semper et antecessorum nostrorum tempore et nostro per cawarfida sic judicatam est, nam in Edicto scripta non fuit.

(*V.*) **134.** Si homenis in uno vico habitantis aliqua intentionis habuerit de campo, aut vinea, prado, aut silva, vel de alias res, et collexerent se una pars cum virtutem, et dixerent, quia *Wifamus et expellimus eos de ipsum locum per virtute foras*; et ambolaverint, et scandalum ibi comissum fuerit, et plagas aut feritas factas vel homo occisus fuerit: ita decernimus, ut plagas et feritas aut hominem mortuum conponant secundum anteriorem Edicto, quod gloriosus Rothari rex vel nos instituimus; pro autem inlecita presumptionem de ipsa collectionem conponat solidos xx ad illam partem, qui in campum, vel in vitis, vel in prado, aut in silvam suum laborem faciebat. Hoc autem ideo statuimus, ut nullus presumat malas causas in qualiscumque locum excitare aut facere. Et non potuimus causam istam adsimilare neque ad arischild, neque ad consilium rustiganorum, neque ad rusticanorum seditione; et plus congruum nobis paruit esse de consilium malum, id est de consilio mortis: quia quando se collegunt, et super alius vadunt pro peccatis, ad ipsum vadunt ut malum faciant, aut, si casus evenerit, hominem occidant, et plagas aut feritas faciant; ideo, ut dixemus, adsimilavimus causam istam ad consilium mortis, quod sunt, sicut supra premisemus, solidi vigenti.

(*VI.*) **135.** Adnuntiatum est quidem nobis, quod aliquis perversus homo, dum se queta femina in fluvio lavarit, pannus ejus, quos hibi habuit ad operimentum corporis sui, totus tolissit, et ipsa remansissit nuda; et qui ibant et transibant per locum illum, pro peccatis vedebant turpitutinem ejus: ipsa autem in ipso fluvio semper stare non potuebat: revertere autem ad casam suam nuda erubisciebat. Proinde statuimus, qui talem inlecita presumptionem fecerit, conponat eidem femine, cui talem turpitutinem fecit, ipse widrigild suum. Ideo hoc dicemus, quia si invenissit eam pater aut frater aut vir aut propinquus parentis ejusdem femine, scandalum cum eum comittere habuit, et qui superare potuissit, unus alterum interficere habuit; propterea

melius est ut se vivo conponat widrigild suum, quam de mortuo crescat faida inter parentis et conpositio major.

(*VII.*) **136.** Item aduntiatum est nobis, quod quidam homo habebat puteum in curtem suam, et secundum consuitudinem furca et tolenum ad auriendum aquam. Veniens autem alter homo stetit sub ipsum tolenum; cum autem venissit quidam ad hauriendam aquam de ipsum poteum, et incaute ipsum tolenum dimisissit, venit super eum qui sub ipso stabat, et mortuos est. Cum autem requisitio ejusdem mortui fierit, quis eum deberit conponere, et nobis relatum fuissit: ita nobis et nostris judicibus rectum paruit esse, ut ipse homo qui hibi mortuos est, quia non fuit animal, sed sensum rationalem habuit sicut homo debit habere, prospicere debuit in qualem locum se ponere ad standum, aut qualem pondus super se habebat, ideo repotit sibi duas partis pretii de conpositionem suam; et tertiam partem, quantum ipse secundum Edicti tinorem adpraetiatus fuerit, conponat ille qui ipsam aquam incaute auriebat, et dit eam filiis aut ad propinqui parentis, vel qui ei heredis exhistunt: et sit causam finita, absque omnem faida vel dolus, quia nolendum factum est. Ille autem, cujus ipse poteum fuit, nullam habeat calomnia; quia ei si calomniam ingerimus, postea nullus permittat de poteo suo aqua levare: et quia omnes homenis poteus habere non possunt, reliqui qui sunt pauperis moriuntur sitim, et iterantes aquae necessitatem patiuntur.

(*VIII.*) **137.** Item perlatum est nobis, quod quidam homo prestedissit jumentum suum alteri homeni ad victuram, et pollenus indomitus secutus fuissit ipsam matrem suam; dum autem per via ambolaverit ille qui eam ad suam victuram acceperat, contegit ut, infantis in quodam vico stantis, ipse pollenus de calcis percussissit unus ex ipsis, et mortuos est. Dum autem parentis ejus requirirent mortem ipsius infantuli, et nobis retulissit, ita prospeximus cum nostris judicibus, ut duas partis precii qualiter ipse infans valuerit conponat ille cujus pollenus fuit, tertia conponat ille cui ipsum jumentum prestitum fuerat. Nam nos scimus, quia in anteriore Edicto legitur: „Si cavallus eum calcem damnum fecerit, do-„minus ejus conponat ipsum damnum"; sed quia iste caballus prestitum fuit, et ipse qui eum suscepit in prestitum rationalis homo fuit, et potuit dicere, si neclictum non habuissit, ad ipsum infantem ut se custodiret, ut hoc malum non proveniret; ideoquae pro ipsam neclegentiam ejus diximus ut tertiam partem pretii conponat.

(*VIIII*. **138.** Hoc autem rei veritas pervenit ad nos, quod quidam homo, diabolum instigantem dixissit ad servum alienum: *Veni, et occide dominum tuum; et ego tibi facere habeo bonitatem quam volueris.* Ille autem puer suasus ab ipso intravit in causam ipsam malam; et hisdem qui eum suaserat in tantam maliciam perductus est, ut aetiam presentaliter diceret eidem puero: *Feri dominum tuum;* et ipse ei pro peccatis feritam fecit. Et iterum dixit ei: *Feri eum adhuc; nam si non eum feris, ego te ferire habeo;* ipse autem puer conversus fecit eidem domino suo alteram feritam, et mortuos est. Dum autem requisitio de mortem ejus et de conpositionem fieret, volebat aliquis dicere quod tantum deverit conponere his qui ipsum puerum suasit, et in sui presentiam ipsum hominem ferire dixit, quantum Aedictus anterior contenit de consilio mortis. Sed nobis et nostris judidicibus hoc nullomodo placuit; quoniam consilium mortis in occulte fiet concinnatum, et aligotiens perficitur et aliquotiens non perficitur: nam hoc humicidium presentaliter factum est, et nos non dicemus esse consilium quando homo alteri homeni verbo tinus et presentaliter ostenderit et dicat: *Feri hominem istum.* Ideoque qui talem malum comiserit, et provatum fuerit, non conponat consilium mortis, sed conponat sicut nus nostro tempore in Edictum adfiximus, ut perdat omnem substantiam suam, et medietatem exinde accipiant heredis defuncti, et mediaetatem curtis regia: excepto illa antiqua conpositionem heredis ipsius qui occisus est in antea tollant, sicut in Edicto nostro tempore, ut diximus, est adfixum.

(*X*.) **139.** In nomine Domini noditia qualiter jubit domnus rex ad omnis actores suos, qui curtis ejus comissas habent: id est in primis de illo quod jam nostrum tempore inpuplicatum est, ut jurent unusquisque actor, et dicat per evangelium, quia quodcumque cognovero quod contra rationem alequid tultum est, facio exinde noditiam domno regi ut relaxetur; sic tamen ut dicat in ipso sacramentum, quod non consentiendum ad amicum, non ad parentem, non ad premium corruptus, nisi quod certo sciat quod contra rationem tultum est: et, cum nobis paruerit, retensitum per nostram jussionem relaxetur. Item unde antea jussemus, per sexagenta annus inquirire possessio de picunia puplicam: pro eo quod peccatis inmenentibus de sexagenta annis aliquid non commemorant, et pauci inveniuntur qui tantus annus habeat, ita statuimus, ut, excepto qui jam per justi-

tiam inpupligatum est, ut actor qui bene certus est quod intra xxx annos aliqua invasatio aut fraus in pecuniam puplica peractum est, ipsum requirat, et adducat ad nostram noditiam; sic tamen ut antea non presumat wifare aut pignerare, quia nos volumus ista caussa per nosmedipsus audire et secundum Deum ordinare: quia apparuit nobis, quod si nos ipsa causa audierimus, Deo fabentem, sine peccatum eam inquirere habemus, et sic ordinare ut mercedem habeamus; quia judicis nostris neque arimannos nec actoris nostri possunt sic disciplina distringere, sicut nos. Quod autem provatum est, qui per triginta annos aut super cujuscumque possessionem fuit et amodo habeat, ut nullus actor eo presumat nec wifare nec molestare; et qui presumpserit, conponat ipse actor widrigild suum: excepto unde preceptum falsum inveniatur, quod aperta causa est ad requirendum.

(*XI.*) **140.** Si servus noster occisus fuerit, duas partis de ipsa conpositionem tollat curtis nostra, et tertiam pars parentis ipsius servi nostri defuncti, sicut superius diximus. Hoc autem in diebus nostris et in tempore regni nostri statuimus, quamquam lex nostra non sit; post autem nostrum decessum qui pro tempore princeps fuerit faciat sicut ei Deus inspiraverit, aut sicut rectum secundum animam suam providerit. Quia non semel, set multotiens, cognovimus, ubi talis causas emerserit, quoniam nec in rebus publicis nec nulla rationem palatii profuerit quod exinde actores nostri tollerunt; et insuper invenimus et cognovimus multos actores nostros, qui tollebant de singulis unde decem solidos, unde sex, unde amplius: et dabant talem spatium atque tranquilla, donec ipse qui homicidium faciebat obsegrare poterint, ut exinde nihil darent. Proindeque previdimus statuere, ut curtis nostra medietatem de aldiones et duas partes de servos, sicut superius diximus, habeat, et reliqua parte habeant ipsi parentis propinqui; ut unde habent dolore, habeant in alico propter mercedem consolationem.

EXPLICIT DE ANNO XXI.

INCIPIT DE ANNO VICESIMO SECUNDO

(Kalendis martiis, anno DCCXXXIIII.)

VOLUMEN DECIMUM QUARTUM.

Pauca quidem capitula, que nuper exorta sunt, et antea minime in Edicto adfixa esse reperiebantur, et erat judicibus nostris

dubium ad judicandum, prospeximus nunc in ipso Edicti corpore adnutare et jungere; hoc est diae kalendarum martiarum, ego in Dei omnipotentis nomine Liutprand rex gentis Langobardorum, anno, Deo propitio, regni nostri vicesimo secundo, indictione secunda: id est

(*I.*) **141.** Si aldius cujuscumque aldia aliena tulerit aut servus ancilla, et, antequam de ipso conjugio aliquam conveneentia domini eorum inter se faciant, contegerit ut quispiam miser homo ipsa aldia aut ancilla qui est uxor alterius fornicatus fuerit, ita praevidimus, ut ei de ipsa culpa debeat subjacere ille qui hoc malum perpetraverit, cujus uxorem adulteravit; nam dominus ejusdem mulieris tantum mundium de ea suscipiat, si aldia fuerit, sicut lex est, et si fuerit ancilla, accipiat exinde pretium aut vegariam, sicut convenerit. Hoc autem ideo prospeximus de uxore servi vel aldionis quasi de libero hominem, quoniam si quispiam miser homo mulierem alicujus adulterat, ad maritum ejus conponit, nam non ad parentes, etiamsi non habeat eam mundiatam.

(*II.*) **142.** Si quis homo liber habuerit servum aut ancilla, aldium aut aldia conjugatus, et, insticantem inimicum humani generis, cum ipsa ancilla quam servus ejus matrimoniatam habit, aut cum aldia que cum aldione ejus copulata est adulterium perpetraverit, ita statuimus, ut perdat ipsum servum aut aldionem cujus uxorem adulteravit, et ipsa mulier insimul, ut vadant liberi et absoluti fulfrealis, tamquam si thingati fuissint, ubi voluerint; quia non est placitum Deo, ut quislivet homo cum uxore aliena debeat fornicari. Tamen de ipsa libertatem ita dicemus, quia non possunt sic sine vera absolutione veri liberi esse, nisi sicut Edictus contenit, aut per thinx, aut circa altare sicut nos instituimus: ideoque veniant ad palatium ad nos aut qui pro tempore princeps fuerit terrae istius, et ipse eos absolvat, et faciat eis praeceptum suum, et sint postea certissimi liberi et absoluti.

(*III.*) **143.** Relatum est nobis, quod aliquis hominis perfidi et in malitiam astuti, dum per se non presumpsessent mano fortia aut violento ordinem intrare in vicum aut in casam alienam, timentes illam conpositionem que in antiquo Edicto posita est, fecerunt collegere mulieres suas quascumque habuerunt, liberas et ancillas, et miserunt eas super homines qui minore habebant virtute; et adprehendentes hominis de ipso loco, et plagas fecerunt, et reliqua mala violento ordine, plus crudeliter

quam viri, exercuerunt. Dum autem hoc ad nos pervenissit, et ipsi homines pro sua violentia qui minus potebant interpellabant: ita prospeximus in hoc Edicto adfigere, ut si amodo mulieres hoc facere in qualecumque locum presumpserint, primum omnium decernimus, ut si aliqua injuria, aut obprobrium, aut plagas, aut feritas, aut mortem ibi acceperint, nihil ad ipsas mulieres, aut ad viros aut ad mundoald earum conponat ille qui se defendendum eis aliqua fecerit lesionem aut internicionem. Insuper et publicus, in quo loco factum fuerit, conprehendat ipsas mulieres, et faciat eas decalvare et frustare per vicos vicinantes ipsius loci, ut de cetero mulieres tale malitia facere non presumant. Et si in ipsa causa feritas aut plagas fecerint ipse mulieres cuicumque homini, mariti earum conponant ipsas plagas aut feritas quas ipsa fecerunt, secundum Edicti tinore. Hoc autem ideo prospeximus tam de disciplinam quam et de conpositionem, quia non potuimus mulierum collectionem ad arischild adsimilare, neque ad seditionem rusticanorum, quia istas causas viri faciunt, nam non mulieres: ideoque sic de ipsis mulieribus faciat, sicut statuimus supra. Si quidem simpliciter in scandalum qualiscumque mulier cucurrerit, et mortem aut plagas vel feritas ibi acceperint, sic ei faciat justitiam, sicut decessor noster ROTHARI rex instituit et judicavit.

(*IIII.*) **144.** Si quis homo sciens aldium aut aldiam suam, servum vel ancillam in casam cujuscumque esse, aut copolatus aut aliter, et non eum requesierit aut per judice aut per publico, et non eum retulerit, et dimiserit eum apud alterum hominem diutius permanere: non requirat operas eorum, quia sciendum neglexit requirire servum vel ancillam, aldium aut aldiam suam. Nam si requisiverit dominus eorum, et ille qui eos habuerit neglexerit reddere aut antesteterit, reddat operas eorum sicut lex est.

EXPLICIT DE ANNO XXII.

INCIPIT DE ANNO VICESIMO TERTIO.

(Kalendis martiis, anno DCCXXXV.)

VOLUMEN DECIMUM QUINTUM.

In nomine Domini nostri JESU CHRISTI ego Liutprand, excellentissimus, christianus atque catholicus rex gentis Langobardorum, adjungere praevidimus una cum judicibus et fidelibus nostris in Edicti pagina; anno regni mei, Deo propitio, vicesimo

tertio, die kalendarum martiarum, indictione tertia, illa capitula que antea non erant instituta, unde cognovimus esse intentionem; ut amodo nulla sit judicibus nostris qui judicare debent qualiscumque dubietas, sed firmiter possint decernere sicut hic, Deo favente, adnotavimus: id est in primis

(*I.*) **145.** Si cujuscumque servus aut ancillam, aldius vel aldiam in ecclesiam Dei confugiom fecerit, et dominus vel patronus eorum aut per se aut per missos suos exinde violenter traxerit, conponat widrigild suo in suprascripta sancta baselica. Et si servus vel aldius sine voluntate domini sui hoc malum fecerit, det ipso servo aut aldione pro ipsum malum in manu de custodes ipsius baselicae; et ipse dominus vel patronus satisfaciat per sacramentum, quod per ipsius voluntatem hoc factum non fuissit, et ipsum widrigild suum non conponat.

(*II.*) **146.** Si quis, timorem Dei inmemor, pro cupiditatem terrena propter qualiscumque rem sciens se perjuraverit, et postea inventum et probatum fuerit quod perjurassit, tunc amittat ipsam rem pro qua se perjuravit, et habeat eam ipse cui contra rationem juravit; insuper, quia et in se ipso, et, quod plus est, in Deo peccavit, et negavit fidem suam, et perjuravit Domino Deo suo, et sibimetipsi non pepercit, conponat medietatem de widrigild suo ei cui perjuravit.

(*III*). **147.** Recolimus enim qualiter jam antea instituimus, ut si quis decedens de hanc vita reliquerit filiam unam aut plures, et sorores in capillo similiter unam aut plures, ut pariter atque equaliter sorores et filiae ei succedere debant; et si soror in capillo decederit, soror qui remanserit similiter sorori suae succedat. Modo vero quia intentio exorta est inter fratres et sorores de nepte que in capillo mortua fuerat, altercationem ponentes quis ei succedere deberit: statuimus, ut barbas ejus in cujus mundium fuit, ipse ei succedat in ejus portione; nam amedanis ipsius de ejus portione nihil percipiant, nisi tantum habeant quantum si vivens fuissit ipsa neptes earum.

(*IIII.*) **148.** Si quis invenerit libera mulierem aut puellam per campum suum seminatum ambolantem et viam indicantem, pignerit eam, et parentes aut mundoald ejus conponant pro ipsa solidos sex, sicut lex est; nam si ipsa conprehendere presumpserit, et ad casam suam legatam aut submanicatam duxerit, conponat solidos centum, medietatem regi, et medietatem cujus causa est; sic tamen ut conpositio illa de sex solidis in ipsa

conpositione conputetur. Et si pulsatus fuerit ille in cujus mundio fuerit mulier aut puella ipsa, quod astu et iniquo animo femina ipsa ambulare per laborem alterius fecissit, ut ei conponerit, tunc preveat sacramentum quod, cupiditatem habendum de ipsa conpositione, asto animo per laborem ipsius ipsa femina non ambolassit, nec damnum asto faciendum; et si juraverit, tunc ipse qui eam conprehensit conponat solidos centum, ut supra: et si jurare non presumpserit, parentes aut mundoald ipsius feminae, ut supra, pro via indicata conponat solidos sex, sicut supra diximus, et ille qui conprehensit sit absolutus.

(*V.*) **149.** Si cujuscumque servus aut aldio, ancilla vel aldia in furto conprehinsi fuerint, et dominus eorum neglexerit eos liberare, et usque ad dies triginta eos dimiserit, sint figanges, et habeat eos sibi in transacto cui furtum fecit; et postea ipsum furtum ei conponat sicut lex est et Edictus contenit.

(*VI.*) **150.** Si quis ex sua auctoritate terra aliena sini puplico wifaverit, dicendo quod sua debeat esse, et postea non potuerit probare quod sua sit, conponat solidos sex, quomodo qui palum in terra alterius figit.

(*VII.*) **151.** Item de infantibus qui intra aetatem sunt, et necessitatem majorem habent, et a fame moriuntur, conparuit nobis ut, dum tempus fames fuerit, licentiam habeat cum misso principis aut cum judici suo de terra aut de rebus suis vindere qualiter vivere possit, in tantum ut se de ipsa fame liberare possit ut non moriantur. Et hoc ipsum quidem judex de loco illo debeat providere, si certe pro ipsa necessitate famis fecit; et sic in ejus praesentia fiat, ut Deum habeat propitium, et si aliter fecerit Deum habeat judicem Et in cartola indicit, quia pro famis necessitate ista vinditio facta est; et qui acto comisso habuerit, non presumat de ipsis infantibus emere. Et dum tempus famis exierit, tunc ipsi infantes secundum anteriore Edicto distribuant res aut substantiam suam, nam non aliter; quia istam licentiam pro sola necessitate dedimus, nam non, quod absit, anteriore Edicto rumpendum.

(*VIII.*) **152.** Si quis fossatum in viam fecerit, et ipsum locum suum probare non potuerit, conponat solidos sex, et ipsum fossatum restaurit; et damnum, si in vitis aut in arboris, ipsum fossatum cavandum, fecit, conponat sicut anterior Edictus contenit.

(*VIIII.*) **153.** Si quis porcus in silva alienam diffensam miserit sicut Edictus anterior habit, hoc est usque ad decem

porcus, et occiserit ex ipsis porco uno, sic sit sicut anterior Edictus contenit. Si quidem tantum decem invenerit, et plus occiserit quam Edictus habit, conponat in actogild, sicut qui malo ordine res alienas tollet. Nam si ille homo qui ipsos porcos habit amplius miserit asto animo suos aut alienos in defensum, quam Edictus habit, et ille cujus silva est occiserit ex ipsos plus quam Edictus contenit, non requiratur. Et si ille qui porcos miserit jurare presumpserit quod asto non misissit, nisi sine voluntatem ipsius domini, tunc reddat ille qui occisit ipsos porcus ferquidus; et si de pastore suo similiter juraverit, similiter reddantur: nam si de pastore de asto jurare non presumpserit, medietatem reddantur, et medietatem repotit sibi, quia servum habuit indisciplinatum.

(*X.*) **154.** Si quiscumque homo qui est prudicus aut naufragus, qui vendedit aut dissipavit substantiam suam, et non habit unde conpositionem faceat, et fecerit furtum aut adulterium aut scandalum, aut plagas alii homini intulerit, et fuerit ipsa conpositio valentem solidi viginti aut supra, dare eum debeat publicus in manu ejus, cui istas causas inlecitas fecit, et ipse eum habeat pro servum. Si autem minus de vigenti solidos fuerit ipsa conpositio, sicut solit fieri, usque ad sex et duodecim solidos, tunc debeat eum publicus dare in manu ejus cui tale culpa fecerit pro servo, in eo ordine, ut serviat ei tantos annos ut ipsam culpam redimere possit, et vadat postea ubi voluerit absolutus.

(*XI.*) **155.** Si quis Langobardus oxorem habens filius aut filia procreaverit, et postea, inspirationem Dei conpulsus, clericus effectus fuerit, tunc filii aut filias qui ante ejus conversionem nati fuerint ipsa legem vivant, quam ille vivebat quando eos genuit, et causam suam per ipsam legem finiri debeant. *)

---

*) 155 [a]. Si quis a convenientia per chartam a se factam se subtraxerit, heres ejus pena conpositionis tenetur adstrictus, praecepto per quandam institutionem, vel quae est. Hoc loco admonendi sumus, quod maleficiorum litigium, nisi lis contestata fuerit, adversus heredes non transeat. Si vero contractu litigaverit, sive lis contestata fuerit, sive non, heredi et in heredem conpetit.

155 [b]. Placuit nobis inserere, ubi lex deest praecellat consuetudo; nulla consuetudo superponatur legi.

(*XII.*) **156.** Et hoc enim statuemus, ut nullus judex neque actor aut qui super furonis erit nuscuntur non presumat servum aut aldionem alterius conprehindere pro furto aut alia culpa, sed domini eorum ipsos servos distringant, et ipsi rationem pro servos reddant, utrum culpabiles sint an non. Ipsi vero domini distringant et inquirant servos suos sicut ipsi amant.

EXPLICIT EDICTUM LIUTPRANDI REGIS.

ITEM MEMORATORIO

DE MERCEDES COMACINORUM.

(*I. De sala.*) **157.** Si sala fecerit, reputet tegulas in solido uno numero sexcenti; si in solario, tegulas quadringenti in solidum unum vestitum: quia quindecim tegulas viginti pedes lebant.

(*II. De muro.*) **158.** Si vero murum fecerit qui usque ad pedem unum sit grossus, dupplicentur mercedes, et usque ad quinque pedes subquinetur; et de ipso muro vadat per solidum unum pedes ducenti viginti quinque: si vero macinam mutaverit, det pedes centum octoginta in solidum unum, usque ad pedes quinque sursum, in longitudinem vero ter quinos per tremisse. Similiter et si murum dealbaverit, sexcenti pedes vadat per solidum unum. Et si cum axes clauserit et opera gallica fecerit, mille quingenti pedes in solido vestito vadant. Et si arcum volserit, pedes duodecim vadat in solido uno. Si vero materias capelaverit majores minores, capita viginti per tremisse; armaturas vero et brachiolas quinque ponantur pro uno materio.

(*III. De annonam Comacinorum.*) **159.** Tollat magistri annonam per tremisse uno segale modia tria, lardo libras decem, vino urna una, legumen sextaria quattuor, sale sextario uno, et in mercedes suas repotet.

(*IIII. De opera.*) **160.** Similiter romanense si fecerit, sic repotet sicut gallica opera, mille quingentos pedes in solidos uno. Et scias quia ubi una tegula ponitur, quindecim scindolas lebant; quia centum quinquaginta tegulas duo milia quingentas scindolas lebant. Et si massa fundederit, sexcenti pedes per solido uno.

(*V. De caminata.*) **161.** Si magistros caminatam fecerit, tollat per una tremisse uno. Et si abietarii cancellas fecerit, per solidos uno vadat pedes duodecim. Si vero peuma fecerit, quantos pedes habent tantas siliquas lebant. Et si carolas fecerit

cum gisso, det per tremisse carolas quattuor: annonas ei non repotetur.

(*VI. De marmorarios.*) **162.** Si quis axes marmoreas fecerit, det per solidos uno pedes xv. Et si columnas fecerit de pedes quaternos aut quinos, det per tremisse columnas tres: annonas ei non repotetur.

(*VII. De furnum.*) **163.** Si vero furno in pisile cum caccabos fecerit et postes tres aut quattuor habuerit, et cum pineam suam levaverit caccabos ducenti quinquaginta, ita ut pinea ipsa habeat caccabos viginti quinque, exinde tollat tremisse uno; e si quingentos caccabos habuerit, habeat duos tremisses; et si mille fuerint caccabi, tollat exinde mercedes tremisses quattuor.

(*VIII. De puteum.*) **164.** Si quis puteum fecerit ad pedes centum, tollat exinde solidos xx; annonas ei non repotetur. Puteus autem de pedes xxxv, solidos quattuor; puteus vero de pedes viginti sex, solidos tres; puteus autem de pedes duodecim, solidum unum: annonas ei non repotetur.

EXPLICIT A DOMNO

LIUTPRANDO REGE.

INCIPIT EDICTUM

RACHIS REGIS.

(Kalendis martiis, anno DCCXLV.)

NOTITIA.

(*I.*) **1.** In nomine Domini nostri JESU CHRISTI, qualiter juxta Dominum et animae nostrae salutem et omnium nostrorum rectum nobis paruit esse una cum nostris judicibus, ut et homines potentes, et pauperes qui suam querunt justitiam minime fatigentur: ut unusquisque judex in sua civitate debeat cottidie in judicium residere, et non attendat ad exemulationem suam aut aliam seculi vanitatem, sed per semetipsum resedeat et om-

nibus justitiam conservet, ita ut de nullo hominem premium accipiat, sicut jam per manum scriptam nobis promiserunt: qui aliter judicaverit, judicatum suum ammittat. Sed si quis judex amodo neglexerit arimanno suo diviti aut pauperi vel cuicumque homini justitiam judicare, ammittere debeat judicatum suum et honorem, et conponat in palatio regis widrigild suum, et illi conponere debeat qualiter Edicti continet pagina, cui justiam judicare neglexerit; quoniam jam teste Deo dicemus, quia nec alicubi vel ad orationem possumus exire aut ubicumque caballicare, propter reclamationem multorum hominum. Ideo hoc statuimus, et volumus ut omnis judex hoc faciat, ut Dei non previamus offensa; et ipsi judices volumus ut in eo tinore precipiant a sculdahis suos aut a centenarios aut ad locopositos vel quos sub se habent ordinatos, ut et ipsi similiter faciant, et promittant ad judicem suum sicut et ipsi judices nobis promiserunt: ut sit nobis et illis tranquillitas, et mercedes in animam. Nam qui a presente die kalendarum martiarum ea que superius leguntur non conservaverit aut non conpleverit, et tantas reclamationes ad nos venerint: primo omnium, de cujus judiciaria ipse homo justitiam non habuerit et ad nos venerit, sciat se quia de ipso honore eum expellimus; et per nullos patronos poterit optinere, ut honorem suum non amittat, et nobis et illis non conponat cui justitiam facere neglexit, sicut supra statuimus; quia cognoscimus eum nec Dei nec nostrum esse fidelem, nec pro salvatione terre istius decertare, sed, ut diximus, contra Deum quaerit agere et contra nos.

(*II.*) **2.** Si quis vero arimannus aut quislibet homo ad judicem suum prius non ambulaverit et judicium de judice suo prius non susceperit, et post justitiam suam receptam sic venerit ad nos proclamare, conponat ad ipsum judicem suum solidos quinquaginta. Propterea precepimus omnibus, ut debeat revertere unusquisque causam habentes per civitates ad judicem suum, et nuntiare debeat causam suam ad ipsos judices suos. Et si justitiam non receperit, tunc veniat ad nostram presentiam; nam si quis venire antea presumpserit priusquam ad judicem suum vadat, qui habuerit unde, conponat solidos quinquaginta: et qui non habuerit unde conponere, juvemus ut eum fustetur. Ideo volumus ut vadat unusquisque ad judicem suum, et percipiat judicium ejus qualiter lex fuerit.

(*III.*) **3.** Et hoc volumus, ut nullus homo presumat causa alterius ad dicendum supprehendere aut causare, nisi cum notitia de judice suo, causa de vidua aut de orphano dicendum. Nam qui, ut diximus, de conliberto suo causam supprehendere aut causare presumpserit, conponat widrigild suum, medietatem regi et medietatem judici suo; et si judex qui fuerit, ante quem causa altercatur, hoc fieri permiserit aut consenserit, conponat regi widrigild suum.

(*IIII.*) **4.** Et hoc volumus et statuimus, ut unusquisque arimannus, quando cum judice suo caballicaverit, unusquisque per semetipsum debeat portare scutum et lanceam, et sic post ipsum caballicet; et si ad palatium cum judicem suum venerit, similiter faciat. Hoc autem ideo volumus ut fieri debeat, quia incertus est homo quid ei superveniat, aut qualem mandatum suscipiat de nos, aut de terra istius ubi oportunum fuerit caballicare. Si quis vero aliter facere presumpserit, conponat judici suo solidos viginti; et judex ille, cujus arimannus hoc distulerit inplere, si non distrinxerit, sicut supra diximus, conponat widrigild suum in palatium regis. De ferratura quidem et aliam armaturam vel caballos ita debeat omnis judex arimannos suos distringere, sicut jam per anteriorem nostram jussionem precepimus.

EXPLICIT.

(Kalendis martiis, anno DCCXLVI.)

INCIPIT

EDICTUM RACHIS REGIS.

CHRISTI JHESU et Salvatoris nostri adsidue nos convenit precepta conplere, cujus providentia ad regiminis culmen pervenimus. Ipsius auxiliante misericordia, ea que genti nobis commissae conveniunt, idest catholicae et Deo dilectae Langobardorum, statuenda previdimus. Quum gloriosissimus ac precelsus Rotharit rex, hujus gentis Langobardorum princes, divina sibi gratia inspirante, leges inseruit atque innovavit, ut omnes intentiones et dissensiones malorum hominum regulari judicio resecaret: quidem et statuit, ut cuncti successores ejus que, sibi Deum inspirantem, aspera et dura cognosceret, illi ad mollitiem et pietatis perduceret gratiam. Deinde successor ejus Grimowald precellentissimus rex, dum studiose atque vigilanter singulorum consideraret necessitates, ea quae illi minus recta esse conparuit ad meliorem statum cor-

rexit, et plura etiam necessaria adauxit. Post hunc vero gloriosissimus et orthodoxus fidei cultor, atque hujus gentis gubernator, et noster per Dei omnipotentis misericordia nutritor, Liutprand eximius et precelsus hac sapientissimus princeps, persistens in Dei operibus et cottidianis vigiliis, omni pudicitia et sobrietate ornatus, sicuti a Deo promeruit, per ipsius inspirationem omnia decenter elicuit, et in Edicti paginam cum suis Langobardis ac judicibus confirmavit. Idcirco per Redemptoris nostri providentia ego divino auxilio Rachis rex, precellentissimus et eximius princeps, anno regni mei secundo, die kalendarum martiarum, indictione quartadecima, dum cum gentis nostrae, id est Langobardorum, judicibus tam de Austriae quam et de Neustriae vel Tusciae finibus universa quae a decessoribus nostris statuta sunt sollicite considerassem: quaedam ibi justa, et quaedam purganda esse invenimus; quia dum pravi homines ea quae ad Dominum pertinent non considerant, magis hujus saeculi lucrum quam animarum suarum remedium intindunt, et per humanam astutiam debiles vel egenos oppremere non desistunt. Quoniam, peccatis facientibus, multos homines neglegentes et humana cupiditate conpulsus in perjurio cadere cognovimus, eo quod gloriosissimus Rotharit rex in Edicti pagina statuerat, inter creditorem et debitorem seu fidejussorem intentionem orta, quo tinore wadia dedisset, et debitor statutae causae tinore negaverit, licentiam ei esse aut per sacramentum aut per arma ipso tinore negare. Sed nobis et nostris judicibus atque Langobardis adstantibus justum conparuit, ut hoc perjurium fieret resecatum; et ita statuimus, sicut subter adnexum est.

(*I.*) **5.** Si quis admodum in presentia regis vel judicis seu liberorum hominum qualecumque modo wadia dederit, et postea negare voluerit ille qui wadia dedit quod in tali tinore wadia non dedisset, sicut ille qui wadia suscepit queritur: si fuerit inter hominis liberi quorum fides ammittitur, non habeat licentia jurare quod in tali tinore wadia non dedissit, nisi qualiter judex qui judicavit se rememoraverit, vel homines qui interfuerunt quando ipsa wadia dedit testificaverint, ita conpleat, et in eorum testimonio credat; quia si stantiam, quam ante liberos hominis aliquis facit, stare debit, quanto magis ea causa que per wadia firmatur, et homines liberi intersunt, negare nihil hominis convenit? Si vero tales hominis inter non fuerint quorum ammittitur fides, quando ipsa wadia data fuerit, tunc exinde procedat judicium, sicut ab ipsum Rotharene regem est institutum.

(*II.*) **6.** Reminiscimur enim quia anterior Edictus continere dignoscitur de liberis feminis que servis copulantur, ut quandoque inventi essent, in servitio reducerentur. Sed quia Grimowald rex instituit de his qui per triginta annos in libertatem viverent, ut in servitio non replicarentur, tamen quia curtes regia possessio non inpedit nisi per sexaginta annorum curricula, sicut domnus Liutprand rex instituit: ideo definivimus, si quis femine admodum inventae fuerit que sibi servi copulaverunt, et per sexaginta annos in libertatem permanserunt, ipsa et filii vel filie earum aut qui de ipsis procreati inventi fuerint, nullus eos in servitio replicare praesumat, sed in libertatem suam permaneant sicut per sexaginta annos permanserunt. Si autem admodum presumpserit cujuscumque servus arimannam ducere uxorem, sic exinde detur judicium, sicut anterior Edictus continet.

(*III.*) **7.** Si quicumque Langobardus qualecumque hominem servum aut aldionem suum facere voluerit, et ipse ad palatio venerit proclamandum, et jussione regis accepta eidem portaverit ut aut ipse judicit, aut veniat in presentia regis vel de judices cum ipso, judicium habendum; et ipse neglexerit, et furore accepto si eum battederit, aut, quod absit, occiserit, sicut nunc factum ex peccatis esse cognovimus, conponat widrigild suum in palatium. Et si ipse homo vivus fuerit, et jam servus aut aldius sit, perdat eum cum rebus ejus, et in libertate permaneat ipse vel filii ipsius: si vero fuerit liber, et widrigild suum conponat regi et si eum battederit ei conponat sicut ad liberum hominem. Nam si ipsum occiderit, per hoc capitulum, sicut supra legitur, conponat mortem illius insimul, et widrigild suum regi pro presumptionem; si vero aldius fuerit aut servus, perdat filios ejus et res ipsius, et conponat, ut diximus, widrigild suum in palatio.

(*IIII.*) **8.** Omnibus enim pene notum est, quia usque nunc per prava cupiditatem deducebant hominis sacramentum de cartola vinditionis que facta erant, et conpellabantur quod pretium conpletum non haberent qui ipsas cartolas habebant et res possidebant; et sic emptores deducebant sacramentum, quod pretium conpletum habuerint. Quod nobis et nostris judicibus durum esse conparuit; quia qui pro opinionem suam jurare nolebant, pro sacramentum suum aliquid dabant, et habebant damnietatem sine causa: et naufragi hominis propterea ipsa conpellationem faciebant, ut aliquid eorum pro ipso sacramento tollere possint. Ideo decernimus, ut si quis cartola vinditionis alicui de aliqua

res fecerit, et ad scrivane publico scriptam vel a testibus idoneis roboratam fuerit, et tam ipse vinditor quamque et testes in ipsa cartola subscripserint aut manus posuerint, et manifestaverint in ipsa cartola quod pretium inter eos statutum suscepissit: si pulsatus fuerit postea emptor quod pretium ipsum non conplessit, sacramentum exinde non procedat; nisi forte ipse ei per wadia obligavit, prendat fidejussorem suum.

(*V.*) **9.** Si quis judex aut quiscumque homo missum suum dirigere presumpserit Roma, Ravenna, Spoleti, Benevento, Francia, Bajoaria, Alamanniam, Ritias aut in Avaria sine regis jussionem, anime sue incurrat periculum et res ejus infiscentur.

(*VI.*) **10.** Cognovimus enim quod per singulas civitatis mali homines zavas et adunationes contra judicem suum agendum faciebant. Sed ita statuimus nunc, ut si admodo quiscumque homo adunationem cum quattuor vel quinque aut amplius hominis fecerit, dicendo quod voluntatem judici sui non faciat quae ille ei recte dixerit, aut ad ejus judicium non vadat, confidens in alicujus patrocinio, et alios circa se adgregare voluerit ut ipsi similiter faciant: conponat sicut anterior Edictus de seditione contra judicem suum levata continere videtur. Si vero de causa regis aliquid dicere voluerit, sit ei licentiam veniendi ad palatium; et si super quem dixerit veritatem adprovaverit, sit condemnatus cui adprovavit, et suscipiat sententiam secundum qualitatem cause, sicut anterior Edictus contenit: et si veritatem adprovare non potuerit, fiat ei datus in manus cum rebus suis, et faciat de eo quod voluerit. Violentia quidem si sustinuerit aliquis aut a judicem suum, aut ab alium hominem, et judex neglexerit judicare, forsitan adtenderit ad gasindio suo vel ad parentem aut ad amicum suum vel ad premium, et legem non judicaverit: tunc veniat ad palatio, et reclamit sua violentia; et si probatum fuerit, non conputetur in adunationem ei qui proclamavit, sed ipse judex conponat widrigild suum, medietatem regi et medietatem ei cui justitiam denegavit, et honorem suum amittat. Arimannus quidem ille si mentierit et dolose hoc dixerit, et si antea venerit ad palatium, quam ad judicem suum vadat ad judicium: si habuerit unde conponere, conponat solidos quinquaginta, medietatem regi et medietatem judici suo; et si talis homo fuerit, qui non habeat unde conponere, suscipiat disciplinam, ut et ipse emendatus fiat, et alii hoc facere non presumat.

(*VII.*) **11.** Si quis causam alterius agere aut causare presumpserit in presentia regis aut judicis, excepto si rex aut judex licentiam dederit de vidua, aut de orphano, aut de talem hominem qui causam suam dicere non potuerit, conponat widrigild suo, medietatem regi, et medietatem ei contra quem causaverit. Et si forte aliquis per simplicitatem causam suam agere nescit, veniat ad palatium; et si rex aut judex praeviderit quod veritas sit, tunc ei dare debeat hominem qui causam ipsius agat: nam si judex hoc consenserit, excepto his capitulis, et non emendaverit, et ipse similiter conponat widrigild suum in palatium regis. Si enim quiscumque homo liber in servitium de gasindio regis aut de ejus fidele introierit, et judex de sub quem fuerit dolose eum obprimere quesierit pro eo quod ipse in servitio alterius introierit, et inlicite per ipsum dolum ei judicaverit, et forsitans ab ipso judice suo justitia sua invenire non potuerit: tunc conponat judex sicut supra legitur, et ille in cujus servitio ipse est habeat licentiam causam ejus agere et usque ad legem perducere; sic tamen ut ante vadat ad judicium judici suo, justitiam suam suscipiendam.

(*VIII.*) **12.** Relatum quidem nobis est, quod sint aliqui pravi homines qui submittant in palatio nostro secretum nostrum discendum, ut aut per deliciosus aut per ostiarios vel per alios hominis captiose aut absconse aliquit investigare possint quidquid nos agimus; et ipsi qui rogantur, quidquid cognoscere possunt eorum, mandant aut annuntiant secrete, et adhuc in extranea provincia mandatum faciunt. Sed adparit nobis, ut qui tale causa penetrare presumit non est in fide sua rectus, set in mala suspectionem manere videtur. Unde decernimus, ut qui in tale causa admodum detentus fuerit, tam qui submittit quamque qui submittitur, anime sue incurrat periculum et res ejus infiscentur: quia, sicut dicit Scriptura: „Secretum regis abscondere „bonum est, opera autem Dei revelare honorificum est“.

EXPLICIT EDICTUM RACHIS REGIS.

INCIPIT
CAPITULA IN BREVI.

Ista quae superius scripta tenentur, in Edictum scribantur: et ista duas capitula de subtus in brevi previdimus statuere.

(*I.*) **13.** Hoc autem statuere previdimus, ut marcas nostras CHRISTO custodiente sic debeat fieri ordinatas et vigilatas, ut inimici nostri vel gentis nostre non possint per eas sculcas mittere aut fugaces exientes suscipere, sed nullus homo per eas introire possit sine signo aut epistola regis. Propterea unusquisque judex per marcam sibi commissam tale studio et vigilantia ponere debeat, et per se et per locopositos vel clusarios suos, ut nullus homo sine signo aut epistola regis exire possit. Et dum ad ingrediendum venerint peregrini ad clausas nostras, qui ad Romam ambulare disponunt, diligenter debeat eos interrogare unde sint, et si cognoscunt quod simpliciter veniant, faciat judex aut clusarius socropos, et mittat in cera, et ponat sibi sigillum suum, ut ipsi postea ostendant ipsum signum missis nostri, quos nos ordaenaverimus: signum post hoc missus nostri faciant eis epistola ad Romam ambulandi; et con venerent da Romo accipiant signo de anolo regis. Si vero cognoverent quod fraudelenter veniant, per suos missos eos ad nos diriga, et innotescat nobis causa ipsa: nam qui ille judex hoc facere distullerit, et, quod abse, forte per ipsius notitia aliquis exierit, sanguinis suo incurrat periculum, et res ejus infiscentur. Et si praesumpserit jurare quod sine ejus premissum factum fuisset, sed solutus a culpa; pro nilectum tamen, sit se aduniaverit, conponat in palatio widricild suum. Et hoc addimus, ut unusquisque judex ponat sollicitudinem per judicaria sua in partibus Tussciae, ut nullus homo possit sine voluntate regis vel sigillum aliquid transire; et si inventum fuerit quod sine jussione transisset, ut sigillum aliquid transire non edoniaverit, conponat widrigild suum.

(*II.*) **14.** De gasindiis quidem nostri ita statuere, ut nullus judex eos opremere debeant, quoniam nos debemus gasindios nostros defendere. Et si contra lege aliquid faciunt ad arimanno homine, et ad judice reclamaret suum, judex aut per epistola aut proprio ore admoneat gasindio nostro ut judicet in se: et ipsum, si judicare non scit, advocit alios conlibertus qui sciunt judicare, et judicit causam ipsam per legem, et faciat judicatum suum, ut arimannus ipse fatigatus non fiat. Nam antequam eum admoneat, sicut dictum est, non per wifa, non per pignerationem sine jussione nostra facere quis presummat. Gasindius vero ipse si distullerit judicare, et legem non judicaverit, judix eum distringat, idem arimanno justitia faciendo: sit tamen non doloso

animo, et ipse gasindius stare debeant in judicium ipsivius judicii; et ipse judix emittat judicatum suum. Si enim postea ei apparuit quod legibus non judicasset, venat cum ipso judicato in presentia nostra.

EXPLICIT A DOMNO.

RACHI REGE.

INCIPIT EDICTUM

AHISTULFI REGIS.

INCIPIT DE ANNO PRIMO.

(Kalendis martiis, anno DCCL.)

VOLUMEN PRIMUM.

In generatione et tempora antiquorum Langobardorum permiserunt et antiquorum suorum dispositiones (corrigere et adaugere, quod et decessores nostri) *usque nunc servaverunt. Sed modo, auxiliante Domino nostro JHESU CHRISTO, Aistolfus, in ipsius nomine rex gentis Langobardorum, traditum nobis a Domino populum Romanorum, anno regni nostri primo, indictione tertia, residente intra Ticinum in palatio nostro una cum cunctis judicibus et Langobardis universarum provinciarum nostrarum: previdimus enim, ut cum Edictus Langobardorum antiquorum regum precessorum nostrorum fuerat institutus, parum in ejus volumine adaugeri in capitularem affigere die kalendarum martiarum.*

(*I.*) **1.** Primo omnium statuerunt de donationes illas quae facte sunt a RACHIS rege et Tassia conjuge ipsius, ut omnia illa precepta, quae postea facta sunt postquam AISTOLF factus est rex, stare nullatenus debeant, nisi per AHISTOLFUM regem ei denuo cui donatum est fuerit concessum.

(*II.*) **2.** De illos homines qui possunt loricam haberent, et minime habent, vel minores homines qui possunt habere cavallos, scuto et lancea, et minime habent, vel illi homines qui non possunt habere nec habent unde congregare, debeant habere scuto et coccora. Et stetit ut ille homo qui habet septem casas

massaritias habeat loricam cum reliqua conciatura sua, debeat habere et caballos; et si super habuerit, per isto numero debeat habere caballos et reliqua armatura. Item placuit, ut illi homines qui non habent casas massaricias, et habent quadraginta jugis terram, habeant caballum, scutum et lanceam. Item de minore homines principi placuit, ut si possint habere scutum, habeant coccora cum sagittas et arcos.

(*III.*) **3.** Item de illis hominibus qui negotiantes sunt et pecuniam non habent, qui sunt majores et potentes habeant loricas, scutos, et caballos, et lanceas; et qui sunt sequentes habeant caballos, scutum, et lanceam; minores habeant coccoras cum sagittas et arcos.

(*IIII.*) **4.** Et hoc item de illis hominibus, qui negotium fecerint sine voluntate regis cum Romanus homines: si fuerit judex qui hoc facere presumpserit, conponat widrigild suum, et honorem suum ammittat; si fuerit arimannus homo, ammittat res suas, et vadat decalvatus clamando. Sic patiatur qui contra voluntatem domini sui regis cum Romanus homines negotium fecerit quando lites habemus. Similiter conponat judex qui neglectum fecerit ad inquirendum, si ante ad ejus notitiam pervenit quod arimannus ejus hoc fecisset aut alius homo in ejus judicaria, conponat widrigild suum, et honorem suum non perdat; et si dixerit ipse judex quod ad ejus notitiam non pervenisset, purificet se ad sancta Dei evangelia, quod ad ejus notitiam non pervenisset.

(*V.*) **5.** De clusas quae disrupte sunt, restaurentur, et ponant ibidem custodiam, ut nec nostri homines possint transire sine voluntate regis, neque extranei possint ingredere in provincia nostra similiter sine voluntate regis vel jussione. Et in quale clusa inventi fuerint, tali pena subjaceat clausarius qui custodire neglexit a judice suo, qualis ipse judex a rege ante posito; nisi judex pro utilitate regis miserit missum suum aut susceperit, tantummodo pro causa regis.

(*VI.*) **6.** De navigio et terreno negotio ut nullus debeat negotium peragendum ambulare aut pro qualecumque causa sine epistola regis aut sine voluntate judici sui; et qui hoc fecerit, conponat widrigild suum

(*VII.*) **7.** De judicis et de sculdahis vel actores, qui homines potentes dimittunt ad casa de exercitu; qui hoc faciunt, conponat sicut Edictus continet pagina.

(*VIII.*) **8.** De inlicita conjunctione, qui nec unde canones aut Edictus habet esse non possunt copulatus, placuit eidem principi nostro ut a presente separentur; et quis intra presentem indictionem causam istam de nostris judicibus neglexerit ad judicandum aut distringendum, conponat widrigild suum: quia de causa ista apparet nobis omnibus, qui talia consentiunt contra Deum et animam suam faciunt, et malitia amplius crescit.

(*VIIII.*) **9.** De furonibus, qui neglexerit inquirere aut sollicitare, vel qui eos transire permittunt foris clausas, ita subjaceat, sicut Edicti continet pagina; et intra presentem indictionem fiat inquisitio. Et hoc statuerunt, ut si conprehensus a qualecumque judice fuerit, et de sub alio judice collegam suum criminaverit, et ipse judex qui ipsum furonem conprehensum habet ad alium judicem mandatum fecerit, et ipse neglexerit eum conprehendere: conponat ipsum furtum cui factum est judex ipse, eo quod conprehendere neglexerit furonem ipsum. Et si servus cujuscumque fuerit, faciat scire dominum ejus, et ipse dominus ejus inquirat servum suum, et faciat ei justitiam qui conpellaverit; et si ipse dominus ejus neglexerit conprehendere aut inquirere, conponat ipsum furtum cui factum est, eo quod conprehendere neglexit.

EXPLICIT DE ANNO PRIMO.

INCIPIT DE ANNO QUINTO.

(Kalendis martiis, anno DCCLIIII).

VOLUMEN SECUNDUM.

Quoniam prophetica nos vaticinatio admonet dicens: „Justa judicate filii hominum;“ et alibi: „Justitiam discite qui habitatis „terram, quia justus Dominus justitiam dilexit“: illa nos sedule convenit sancire, ut gens nobis commissam in judicio non gravetur, et omnipotenti Domino, cujus opitulatione regnamus, in omnibus placere valeamus; decessorum nostrorum sequentes exempla, qui, Redemptori omnium saeculorum pleno pectore placere desiderando, pro sibi commissae gentis tuitione, ut recto moderamine regeretur, leges inposuerunt. Idcirco ego, Dei omnipotentis auxilio, Ahistulfus precellentissimus catholicae gentis Langobardorum rex, praecessorum nostrorum omnia instituta perpendens, quaedam ibi repperimus non adnexa, de quibus maximus error nostros judices ad danda judicia involvebat: anno felicissimi regni nostri in Dei no-

mine quinto, die kalendarum martiarum, indictione septima, convocatis ex diversis partibus regni nostri pertinentibus judicibus, commune consilium in Edicti pagina adfigi statuimus que precellentiae nostre juxta Deum justa conparuerunt, quatinus et justitia maneat, et a nostrorum judicum judicio omnis obscuritas inluminetur.

(*I.*) **10.** Recolimus enim in anterioris Edicti pagina esse insertum, ut si frater decederit absque filiis, filiabus, et sorores relinquerit, ipsae ei heredes succederint; nam amedanis suorum nepotum posessionem capere nullumodo potebant, quia nihil de eisdem amedanibus prior continebat Edictus, nisi aut sorores aut parentes propinqui succedebant: et dum remanebant in capillo, in casa inordinate patientes neccessitatem servis se copulabant. Ideo, Deo nobis inspirantem, statuere previdimus, ut si quis Langobardus moriens sororem unam aut plures in capillo in casa reliquerit, et filium unum aut plures, filii ipsius debeant perpensare qualiter amedanes eorum absque necessitatem vivere possent secundum qualitatem substantiae suae, ut amedanes illorum indigentiam non patiantur neque de victum, neque de vestimentum, neque de calciamento, sed nec de obsequium suum; et si in sacro monasterio sub statuta regula vivere voluerint, ab ipsis suis nepotibus ordinentur ut illis praevisum fuerit aut convenerit. Si autem predicti nepotes decesserint absque filiis, filiabus, aut intestati, et sorores reliquerint, amedanis eorum que in casa in capillo remanserint cum ipsas nepotas suas in rebus nepotum et fratrum succedant equaliter quantecumque fuerint.

(*II.*) **11.** Anterioris Edicti legitur kapitula, ut si quis Langobardus pertinentem suum in quartam manum tradiderit et a se amund fecerit, aut circa altario deducendum sacerdoti tradiderit, soluti ab omni conditione servitutis permanerint. Sed quoniam perversi homines benefactores suos accepta libertate postponebant, et ipsi eum postmodum retinere nequaquam valebant, multi hominis timentis ne sui liberti eos postponerent, libertatem eis facere obmittebant. Propterea statuimus, ut si quis Langobardus pertinentem suum thingare voluerit in quarta manu, et cartola illi fecerit, et sibi reservaverit servitium ipsius dum adhuc vixerit, et decreverit ut post obidum ejus liber sit: stabilem debeat permanere secundum textu cartule quam ei fecerit; quia justum nobis paruit, ut homo benefactorem suum vivente eum dimittere non debeat. Nam qui in ecclesia liberum dimiserit per manus sacerdotis, sic maneat ei libertas sicut anterior Edictus contenit.

(*III.*) **12.** Cognovimus enim multotiens perfidos homines contra voluntatem parentum defunctorum suorum agere, dum ipsi pro animabus suis per loca venerabilia res suas destribuebant, et pertinentibus suis simplicem libertatem cum rebus quibuslibet donabant; et cum ipsis hominibus per astutia agebant, et eos a suis cespitibus removentis in suum servitium replicabant, postmodum libertatem simul et res amittebant. Ideo previdimus, hanc resecare malitiam, ut voluntas et ordinatio inpleatur defuncti: et ita sancimus, ut si quis Langobardus per cartola in sanitatem aut egritudinem suam res suas ordinaverit, et dixerit eas habere loca venerabilia, et familias per que res ipsas excoluntur liberas esse dixerit, libera ei sit potestas; si dixerit ut in ipsis religiosis locis redditum faciant, secundum ipsius statuta reddant omni tempore juxta domini sui preceptionem ipsi et filii filiorum illorum, et sint liberi de suis personis sicut dominus eorum instituerit, et ab ejus heredibus non replicentur, nec a suis cespitibus removantur, sed ab ipsis venerabilibus locis defensentur, excepto si sua voluntate voluerint exire, licentiam habeant in libertate sua exire, et vivere ubi voluerint. Nam si ad finis mortis properaverit, ita ut nec thingare hominem suum possit, neque in manu sacerdotis tradere circa altario liberum dimittendum, propter subitaniam mortem, et instituerit ut post obitum ejus per manum sacerdotis qualem designaverit circa sacro altario deduci debeatur: causa miserationis decrevimus, ut sicut dominus eorum preceperit ita inpleatur, et sacerdos quem designaverit eum absque cujuscumque contradictione absolvat, et liber permaneat; quia maxima mercis nobis esse videtur, ut de servitio servi ad libertatem deducantur; eo quod Redemptor Noster servus fieri dignatus est, ut nos libertatem donarit. Si vero aliquid ei in ipso exito suo donaverit aut donare preceperit, stabilis ei ipsa donatio permaneat; quia Apostoli Pauli auctoritas *maxime ad domesticos fidei* beneficium praestare jubit. Et pro launegild inputetur ei servitium suum, eo quod servus non habit unde aliut launegild ei faciat.

(*IIII.*) **13.** A nostris decessoribus jam antea est institutum, ut Langobardus potestatem habeat filium suum sibi bene servientem de rebus suis meliorare; de filiabus non contenebatur. Ideo statuimus, ut si duas filias habuerit, et filium non reliquerit, potestas ei sit unam filiam suam, qualem voluerit, meliorare tertiam partem de rebus suis, et si tres fuerint,

quartam partem; et si amplius fuerint, per hanc rationem conputetur.

(*V.*) **14.** Et iterum si quis Langobardus decidens uxori sue usumfructum de rebus suis judicare voluerit, et filius vel filias ex ea reliquerit, non amplius ei pro usumfructum judicare possit, quam medietatem ex sua substantia, super illut quod ei in morgincap et metam secundum legem datum fuerit. Et si filius aut filias ex alia uxore reliquerit unum aut duos, possit uxori suae tertia portionem ad usumfructum relinquere; si fuerint tres, quartam partem; si autem amplius fuerit, per hoc numero conputetur. Morgincap et meta, quod ei legibus data est, habeat in antea. Si quidem nupserit postea aut mortua fuerit, usumfructum in integrum ad heredes revertatur; de meta vero et morgincap fiat secundum anteriorem Edictum.

(*VI.*) **15.** Pervenit ad nos, quod dum quidam hominis ad suscipiendam sponsam cujusdam sponsi cum paranimpha et troctingis ambularent, perversi hominis aquam sordidam et stercorosam super ipsa jactassit. Sed quia cognovimus malum hoc per singula loca fieri, previdimus, ne pro hanc causam scandala vel homicidias surgant, ut si quiscumque liber homo talem rem facere temptaverit, conponat solidos nonientus, medietatem regi, et medietatem ad mundoald ejus. Nam si pertinentes hominis hoc fecerint sine voluntatem domini sui, et se dominus eorum purificare per sacramentum ausus fuerit quod nec cum ejus voluntatem nec consilio vel consensum factum fuisset, servi ipsi tradantur in manus de mundoald ejus, et ipse faciat de eis quod ei placuerit, et amplius patronus calumnia non habeat; et si jurare non presumpserit, conponat sicut supra legitur solidos nungentos.

VII. **16.** Si quis Langobardus cum pontificibus, abatibus, vel custodibus ecclesiarum, seo exenodochiorum prepositis, de quibuscumque rebus convenientiam fecerit, et poena inter partis obligaverit, et heredes vel successores suos conligaverint, et idonei hominis interfuerint, non possint postea ab eorum successoribus removeri, sicut nec removitur ab eodem Langobardum, excepto si pena obligata conponere voluerit. Si vero commutationem fecerint de casis, terris, vel familiis, et fuerint inter missus regis vel pontificis seo judices, aut tales homines tres quorum fides ammittitur, et res meliorata eis paruerit tunc quando ipsa commutatio facta fuit quod pars loci religiosi suscipiat, nulle in

tempore postea ab eorum successoribus removeatur, sed semper commutatio ipsa firmis permaneat; et si removere voluerit, poena inter se conligata conponat.

(*VIII.*) **17.** Relatum est nobis, quod nuno usque talis fuissit consuitudo, ut monasteria vel reliqua loca venerabilia, que in defensione sacri palatii esse noscuntur, conpositione dubla exegessent ab hominibus qui in ipsa venerabilia loca conponere devebant, sicut curtis regia exegere videtur. Nunc autem statuimus, ut monasteria, baselica, vel exenodochia, quae ad palatii defensionem esse noscuntur, si conpositione exegere debuerit, non exegant sicut de causa regia dublum, nisi sicut alia venerabilia loca exegunt que ad palatio non perteneunt.

(*VIIII.*) **18.** Si quis Langobardus qualecumque rem possederit, et custodes locorum venerabilium de ipsis rebus eum molestaverit, et ipse possessionem suam de triginta annos consignaverit, et ejus claruerit possessio, possedeat et in antea. Similiter et venerabilia loca faciant de rebus quae ipsi possedeunt, si a Langobardis fuerint pulsati. Quia anterior Edictus contenit de quinque annorum possessionem, ut qui possederit per quinque annos in facie ejus qui pulsaverit, ipse secundum legem defendat; et loca venerabilia inter se de rebus quibuslebit quadraginta annorum possessio excluditur: ideo justum duximus, ut qui per triginta annos possederit possedeat et in antea.

(*X.*) **19.** Si quis Langobardus causam habuerit cum locis venerabilibus que ad defensionem sacri palatii esse noscuntur, si fuerit causa unde sacramentum debeat procedere, si judex abatem, custodem vel prepositum pulsaverit, ipse ei satisfaciat: si autem aba, custus aut prepositus judicem pulsaverit, et sacramentum datum fieri debuerit, ipse judex ei sacramentum deducat. Si vero alter Langobardus habuerit causam cum abatibus, unde similiter sacramentum deductum fieri debeat, anteponatur ipse abas solus; nam alius quales elegerit, quanti secundum legem jurare debuerint, sacramentum deducant: ita tamen ut ipse abas talis sit, qui per regulam secundum Deum vivat, et subjectos monachos usque quinquaginta et amplius cum eo regulariter vivant. Si quidem cum alio custodem vel prepositus de locis venerabilibus causam habuerit, ipse custodis vel prepositis sacramentum deducant.

(*XI.*) **20.** Si quis cum curte regis causam habuerit, et evenerit ut pars curtis regis sacramentum deducere debeat, si

major causa fuerit, per sacramentum ovescarioni cum actoribus finiantur; si vero minor causam fuerit, actor de loco cum actoribus secundum qualitatem causae persolvant sacramentum.

(*XII.*) **21.** Et hoc definimus ut postquam jussio regis fuerit in exercitum ambulandum, et constitutum positum ad movitionem faciendam, nullus presumat fidejussorem aut debitorem pro quacumque causa pignerare, si de una judicaria fuerit, ad dies duodecim antequam exeat ad exercitandum, sed sit quietus a duodecim dies antea et duodecim postea quam de exercitum fuerit reversus; si autem de aliis judicariis fuerit, similiter sit spatium ad dies viginti; nam si quis intra ista spatia pigneraverit, conponat pignera ipsa, sicut qui contra rationem pignus abstulerit.

(*XIII.*) **22.** Si quiscumque homo pro bonitatem suam introierit in servitio de judice aut de alio hominem, et deservierit ei vel ad filius aut ad nepotes ipsius, et claruerit veritas quod parentes ejus omnis liberi fuissint, et postea eum in servitio detenere voluerit, dicendo quod per triginta annos ei vel parentibus ejus deservisset: non possit eum pro ista possessione tenere; quia inpossibile est et contra Dei preceptum, dum omnes ejus parentes liberi sunt, ut ipse solus qui voluntariae deservivit in servitio deteneatur pro sola possessione. Nam si pro furto aut pro alia malitia, sicut Edictus contenit, ad deserviendum in manus datus fuerit, et probatum fuerit, deserviat et in antea. Si vero ejus parentes pertinentes fuerint, et ipse solus ad libertatem tendere voluerit, si ipse libertatem suam edoniare per cartola aut per hominis liberos vel per possessionem juxta legem non potuerit, deserviat et in antea.

EXPLICIT EDICTUM

AHISTULFI REGIS.

Errata.

Seite	1	Zeile	2	v. u.	statt:	Frea *et* Godan lies: Frea *ad* Godan.
„	4	„	7	v. o.	„	Et *acceptit* Authari lies: Et *accepit* Authari.
„	4	„	8	v. o.	„	cum *Theodolenda* lies: cum *Theodelenda*.
„	5	„	3	v. o.	„	aetatisque *tricessimo* lies: aetatisque *tricesimo*.
„	6	„	10	v. u.	„	quis in *consilium* lies: quis in *concilium*.
„	8	„	1	v. u.	„	noluerit *illi* lies: noluerit *ille*.
„	10	„	9	v. o.	„	penetrare *presumserit* lies: penetrare *presumpserit*.
„	10	„	14	v. o.	„	in palatio regis, lies: in palatio regis;
„	12	„	19	v. o.	„	si eum *occissit* lies: si eum *occisissit*.
„	13	„	2	v. u.	„	*ministrialem* oculum lies: *ministirialem* oculum.
„	14	„	13	v. o.	„	plures *fuerunt* lies: plures *fuerent*.
„	15	„	2	v. u.	„	non *transforaferit* lies: non *transforaverit*.
„	16	„	15	v. u.	„	excusserit, *conpanat* lies: excusserit, *conponat*.

Appendices.

I.

Chronicon Gothanum

ab auctore anonymo

anno a DCCCVI ad DCCCX conscriptum.

Asserunt antiqui parentes Langobardorum per Gambaram parentem suam, pro quid exitus aut movicio seu visitatio eorum fuisset, de inter serpentibus parentes eorum breviati exissent; sanguinea et aspera progenies et sine lege. In terra Italiae adventantes, fluentem lac et mel, quod amplius est, salutem invenerunt baptismatis, et vestigia sanctae Trinitatis recipientes inter numerum bonorum effecti sunt. In illis impletum est, „Non imputatur peccatum cum lex non esset." In primis lupi rapaces, postea agni inter dominicum gregem pascentes. Proinde[1]) gratia referenda est Domino, qui illos de stercore inter justorum gregem[2]) collocavit. In his[3]) est Davitica impleta prophetia: „Et de stercore erigens[4]) pauperem, sedere facit eum cum principibus populi sui." Sic superscripta Gambara cum eisdem movita adserebat, non ut prophetaret quae nesciebat, sed phitonissa inter Sibillae cognomina dicens eo quod illi[5]) superna visitatione movissent, ut de spina rosa efficeretur, nesciens in qualia, nisi divinandum perspicerit.[6]) Moviti itaque non ex necessitate aut duritia cordis aut pauperum[7]) oppressione, sed ut ex alto salutem consequeretur, asserit exituros. Mirumque est omnibus et inauditum videre, ubi non fuit meritum parentum, talis salus refulgere quidem inter mucrones spinarum odoramenta aecclesiarum inventis, sicut ipse misericors filius Domini antea praedixerat: „Non veni vocare justos, sed peccatores." Isti fuerunt unde ipse Salvator ad Judaeos in Proverbiis dicens[8]) ait: „Habeo alias oves, quae non sunt ex hoc ovili, et illas me oportet adduci ad aquam vivam poscendam."

II. Hic incipiam[9]) originem et nationem seu parentelam Langobardorum, exitus et conversationem eorum, bella et vastationes quae fecerunt reges eorum, et patrias quas vastarunt. Vindilicus dicitur amnis ab extremis Galliae finibus; juxta eundem fluvium in primis habitatio et proprietas eorum fuit. Primis Winili[10]) proprio nomine seu et parentela, nam, ut asserit Hieronimus, postea ad vulgorum vocem Langobardi nomminati[11]) sunt, pro eo quod barba prolixa et nunquam tonsa. Hic supradictus Ligurius fluvius, Albiae fluvii cannalis inundans, et nomen finitur. Postquam de eadem ripa, ut supra dictum est, Langobardi exierunt, sic Scatenaugae Albiae fluvi ripa primis novam habitationem posuerunt.

III. Sic deinde certantes, Saxoniae patriam attigerunt, locus ubi Patespruna cognominantur, ubi, sicut nostri antiqui patres longo tempore asserunt habitasse, et in multis partibus bella et pericula generarunt; ibique primum regem levaverunt nomine Agelmund. Cum ipso de hoc loco in antea patrias ad suam partem expugnare coeperunt. Unde in Beovinidis aciem et clauses[12]) seu tuba clangentium ad suam proprietatem perduxerunt, unde usque hodie presentem diem Wachoni regi eorum domus et habitatio apparet signa. Deinde, meliorem ubertatem patriae requirentes, ad Traciam provinciam transierunt, in Pannoniae urbis patriam suam hereditatem afflixerunt; unde cum Abaris reluctantes seu bella plurima ardentissimo animo, ipsam Pannoniam expugnaverunt, et Abari cum illis foedus amiciciae emiserunt,[13]) et xx et duos annos ibi habitare perhibentur.

(Capita IIII—VI vide supra, in Chronico Rotharis regis, a col. 6, vers. 27, ad col. 7, vers 38.)

VII. Iste Albuin movit et adduxit Langobardos in Italiam, invitatus ad Narside proconsule et praeside Italiae, qui minas Suffiae reginae erat perterritus. Eo tempore cum exire coeperunt Langobardi a Pannonia, tunc fecerunt pactum et foedus amiciciae Abari cum ipsis Langobardis et cartam conscriptionis, ut usque ad annos ducentos, si eorum oporteret Pannoniam requirere, sine omnia bella certaminis ad eorum partem ipsam terram relaxarent, et in Italiam, in quam ipsi perrexerant, usque ad plenos ducentos annos in eorum auxilium essent parati. Et movit se Albuin rex Langobardorum de Pannonia cum exercitu suo valde copioso, mense aperile[14]) in pascha, indictione prima; secunda vero indictione incipiente coeperunt praedare

finem Italiae; tertia autem factus est dominus Italiae. Nam Narsis proconsul Italiae si quid[15]) eorum promiserat relinquens Italiam ad Spaniarum[16]) provinciam est reversus. Tunc Papiae cives[17]) et Mediolanum metropolim cum reliquae aliae civitates Italiorum, videntes se vacuae, sicut a Domino fuerat praedestinatum colla sua ipsi Albuin regi subicierunt. Et cum regnasset Albuin in Italia annos tres et menses sex, malo inito contra eum consilio per Rosemoniam uxorem, et consilio Peredei cubicularii sui, a Helmechis[18]) spatario suo occisus est in Verona civitate.

VIII. Et volebat Helmechis regnare, et non potuit, propter metum Langobardorum et necem Albuini. Tunc mandavit Rosemonia festinanter Longino praefecto militi Ravennensi,[19]) ut eam in fugam susciperet ad Ravennam. Ut autem audivit Longinus haec verba, misit movere angarias, et tulerunt Rosemoniam et Alsuendam filiam Albuini regis, et omnem thesaurum Langobardorum secum duxerunt et Helmechis; unde pluros annos scisma et bella inter Langobardos et Romanos fuerunt. Tunc ut per foemineum[20]) primum exordium accidit mala suasio peccati, inde usque ad presentem diem feminalis tenet consuetudo peccandi. Suasit ipsa Rosemonia Longino militi sicut prius a Helmechis,[21]) ut et ipsa occideret Helmechis, et Longino esset uxor. Inito isto consilio venenum[22]) Rosemonia, et dedit Helmechis; cumque gustasset, intellexit quod malignum biberat: praecepit ut et ipsa Rosemonia cum eo biberet invita; et mortui sunt ambo. Tunc Longinus praefectus tulit omnes thesauros Langobardorum, et Albsuendam filiam Albuin regis jussit ponere in naves, et transmisit eam Constantinopolim ad imperatorem suum.

VIIII. Eo tempore levaverunt Langobardi sibi regem nomine Cleps, de genere Peleos, et regnavit annos duos et menses sex, et mortuus est. Et judicaverunt judices Langobardorum sine rege Italiam annos XII. Post haec levaverunt sibi regem nomine Autarenem,[23]) filium Cleffonis. Et accepit Autaren[24]) uxorem nomine Teodelendam, filiam Garibaldi et Walderadae; et venit cum Teodelenda frater ejus nomine Gundwald, et ordinavit eum Authari rex ducem in civitatem Austinse. Et regnavit annis septem, et mortuus est.

X. Et venit Agilwald dux Thuringorum de Taurini, et junxit se Teodelindae reginae, et factus est rex Langobardorum. Et occidit tres duces rebelles[25]) suos, Langrulf[26]) de Verona, Mimolfo de insula Sancti Juli, et Gaidulfo de Bergamo, et alios

plures rebelles[27]) suos. Et genuit Awald rex de Teodelinda filiam nomine Gudebergam, et filium[28]) nomine Adelwald. Et regnavit Agilwaldo annos xx et v. Adelwald filius ejus regnavit annos x. Arioaldus regnavit annos decem.

XI. Rothari regnavit annos sedecim; per quem leges et justitia[29]) Langobardis est inchoata, et per conscriptionem primi judices percurrerunt; nam antea per cadarfada et arbitrio seu ritus finierunt[30]) causationes. Istius Rothari regis temporibus[31]) ortum est lumen in tenebris; per quem supradicti Langobardi ad canonica tenderunt certamina, et sacerdotum facti sunt adjutores. Rodoald regnavit menses sex. Aribertus regnavit annis viiii. Grimwald regnavit annos viiii. Berthari regnavit annis x et vii. Canibert[32]) regnavit annis xiii. Liupert regnavit annos duos. Aribert regnavit annos xii. Ansprando regnavit menses tres. Liutprando regnavit annos xxxi et menses vii. Hildeprand regnavit menses vii. Ratgis regnavit annos iiii et menses viiii. Aistulfus regnavit annos vii. Desiderius cum filio suo Adelchis regnaverunt annos decem et vii et menses tres.

XII. Hic finitum est regnum Langobardorum, et incoavit regnum Italiae, per gloriosissimum Carolum regem Francorum, qui adjutor et defensator domni Petri principis apostolorum, qui[33]) ab Italia perrexerat[34]) ejus justiciam requirendam. Nam nulli lucri cupiditas peragrare, sed bono pius et misericors factus est adjuvator; et, sicut poterat omnia demollire, factus est clemens indultor, et paternae patriae leges Langobardis misertus concessit, et suas, ut voluit, quae necessariae erant, Langobardis adjunxit, et innumerabilibus viris qui eidem culparunt incessanter culpas dimisit: pro quod illi omnipotens Dominus centies multiplicavit ubertates. Postquam Italiam cepit, in Spaniam[35]) suos terminos posuit; deinde Saxoniam perdomuit; post Bavariae dominator existet: et super innumerabiles gentes ejus timor irruit. Ad ultimum vero, ut dignus fuit imperii honor, adeptus est coronam imperii, dignitates Romanae potestatis accepit, factus est domni Petri apostoli subditissimus filius, et ejus facultates ab inimicis defensabat.

XIII. Post haec autem omnia regnum Italiae tradidit magno et glorioso filio suo domno Pippino magno regi; et sicut omnipotens Dominus patri concessit fortitudinis gratiam, ita et in filio habundavit. Per quem Tratia provincia una cum Abaris ad Francorum servitutem est redacta; illi qui ab inicio malorum

stirpe progeniti inimici aecclesiarum, persecutores Christianorum semper fuerunt. Per isto,[36]) ut diximus, domno Pippino, seu et patri suo solatium, supradicti Abari sunt evacuati et superati, et sanctae aecclesiae defensatae, et multa vasa Sanctorum, quae illi crudeles et impii rapuerunt, per istum defensatorem sunt ad propria reversa. Deinde Beneventana provincia, ut digni fuerunt suae praevaricationis sacramenti, cives eorum igne sunt examinati et consumpti, et populus eorum capitalem subierunt sentenciam. Post haec et Beowinidis cum exercitu suo perrexit eamque vastavit, et populos terrae ejus predavit et captivos adduxit. Igitur Corsicam insulam a Mauris oppressam suo jussu ejusque exercitu liberavit: presentem diem per ejus adjutorium splenduit Italia, sicut fecit antiquissimis diebus; leges et ubertates et quietudinem habuit per domini nostri merita, prestante Domino nostro JHESU CHRISTO.

AMEN.

Variae lectiones.

1) *Proinde*) Codex Goth. hic addit *tanta laus et gratia*.
2) pro *gregem*) habet cod. Goth. *numerum*.
3) *In his*) codicis Gothan lectio margin.; in textu: *nisi davitica*.
4) *erigens*) cod Goth. habet *eriens*, corr. *erigens*.
5) *illi*) Goth. fert *ille* in *illi* corr.
6) *perspicerit*) transfert correctura codicis Goth. in *perspexerit*.
7) pro *pauperum*) dat Goth. *parentum*.
8) *dicens*) in margine addit cod. Goth. *ait*.
9) pro *Hic incipiam*) quae verba in marginem transfert, habet cod. Goth. textus: *hic incipiens*.
10) *Primis Winili*) Cod. Goth. transmutat in *inprimis uuituli*.
11) pro *nomminati*) dat Goth. *nom mutati*.
12) *clauses*) transmutat Cod. Goth. in *classes*.
13) *emiserunt*) corr. in *imerserunt*.
14) *aperile*) corr. in *apili*.
15) *si quid*) Cod. Goth. dat *siquid*.
16) *ad Spaniarum*) transfert Cod. in *Hispaniarum*.
17) *cives*) corr. in *civit*.
18) *a Helmechis*) Cod. Goth. habet *ab elmechis*.
19) pro *Ravennensi*) dat Cod. *Ravenensi*.
20) *foemineum*) habet *fœmeneum*, corr. in *foemineum*.
21) pro *a Helmechis*) porrigit cod. *ab Elmechis*.
22) inter *consilio* et *venenum* addit Goth. *temporavit*.
23) und 24) *Autarenem* ... *Autaren*; primo loco ponit Cod. *antarem* ... secundo *autarem*.
25) und 27) *rebelles*) corr. *rebellos* in *rebelles*.
26) *Langrulf*) Cod. habet *Zangrulf*.
28) pro *filium*) dat Cod. *filio* corr. in *filium*.
29) *justitia*) transmutat Cod. in *justiciam*.
30) *finierunt*) *fierunt* corr. in *finierunt*.
31) *temporibus*) margini adscriptum textui deest.
32) pro *Canibert*) dat cod. *Cunibert*.
33) *qui*) cod. omittit.
34) post *perrexerat*) inserit Goth. *ad*.
35) *cepit*) *in Spaniam*, Codex transponit in *coepit in Hispaniam*.
36) pro *isto*) Goth. dat *istum*.

II.

Origines Langobardicae

E Membrana Bibliothecae Halensis saeculi XI ineuntis

primum editae

a Johanne Friderico Christio

anno MDCCXXVIII.

Hi prefuerunt genti Winilorum, hoc est Langobardorum, Ibor scilicet et Agio, utreque germani, ex matre Gambara editi. Qui egressi de Scandinavia venerunt Sciringa, quae Wandalis contigua est; de qua egressi venerunt in Mauringam: inde applicuerunt in Golanda. Mortuis igitur Ibor et Agione, primum Agelmund Agionis filius per xxxiii annos eidem genti regnavit. Post Agelmundi funus, Lamisio secundus suscepit regnum.

II. Post Lamissionem, tercius ad regni gubernacula per lx annos Letus ascendit. Hoc defuncto, Ildeoc [iiii] ejus filius iii suscepit regnum. Quo decedente, quintus Godeoc regnum est adeptus. His temporibus Odovacer Italiam regebat. Godeoc mortuo, regni gubernacula suscepit ejus filius Claffo. Ex supradicta regione Winili egressi venerunt in Rugilanda, quae Rugorum dicitur patria, quam Feletheus, qui et Feuba dictus est, rexerat; sed, Odofacra resistente, amisit cum vita patriam: illic per aliquantus Winili commorati sunt annos. Claffone defuncto, Tato septimus ascendit ad regnum. Winili vero egressi de Rugilanda venerunt in campos, qui sermone barbaro Feld appellantur. Tatone interfecto a Wachone, ipse aliquantisper genti sue dominatus est: qui ex sua filia filium suscipiens, eum Waltari appellavit Ipse Waltari post Wachonem octavus per septem annos optinuit regnum.

III. Post quem Audoin nonus adeptus est regnum; qui Langobardus in Pannoniam duxit. Alboin mortuo, jam decimus ejus filius Alboin ad patriam est regendam electus; quique per Narsetam ex Pannoniam vocatus, in qua per lxii annos deguerat, in Italiam universa cum multitudine gratanter ingreditur ad eandem obtinendam. Hic autem, insidiante Rosmunda sua conjuge, ab Helmichiso suo milite, Peredeo operante interfectus est.

IIII. Cujus post necem Cleb, nobilissimus, ad regni fastigium erectus est; sed post annum et sex menses a suo puero interfectus est. Post hec Langobardi sub ducibus per x fuerunt annos. Sed communi consilio Antharim, Claffonis filium, in regnum praeficiunt: qui, ut tradunt, veneno accepto, mortuus est. Huic successit Agilulf, qui per suam conjugem Theudelinguam, Gregorio papa monente, statuit cum Romanis pacem. Is postquam xxv regnaverat, diem clausit extremum. Adaloald post patri successit, decem cum matre, annis regnavit. Sed hunc regno ejecerunt Langobardi, et ejus in loco Arioald electus est in regnum; hic post xii annos quibus regnaverat, defunctus est. ***

III.

Langobardorum Regum

Leges

ad edictum non pertinentes.

GRIMOWALDI REGIS.

(Anno DCLXII—DCLXVIII.)

I.

Si quis servus per xxx annos domino suo servitium fecerit, non praesumat contra dominum suum pugnare, nisi serviat ei. Et si aldius fuerit, et per xxx annos fecit operas, similiter non liceat eum pugnare contra dominum suum, sed faciat sicut et parentes ejus fecerunt; nam nova amplius a domino suo non inponatur. Et qui per xxx annos cognoscitur fuisse liber, nullam patiatur violentiam, nisi liceat eum in libertate sua permanere, aut per sacramentum defendere.

II.

De servis qui culpas faciebant de solidis dcccc, et dominos suos pro ipsis conponere stetit, statuimus, ut si talem culpam fecerit servus unde dcccc solidi conponebantur, nihil aliud faciat dominus ejus, nisi ipsa persona tradatur ut moriatur; et conponat pro illicita causa dominus ejus quod servus commisit solidos lx, et amplius non calumnietur.

(Ad Grimowaldum item nonnulli codices referunt, quod nos pluribus codicibus subjunximus Liutprandi Edicto sub numeris clvii—clxiii, Memoratorium de mercede Comacinorum.)

LIUTPRANDI REGIS.

(Kalendis martiis, anno DCCXXXIII.)

I.

In nomine Domini Noditia qualiter jubit domnus rex ad omnis etc. (Auctoritate codicis Vercellensis in Edictum recepimus inter Liutprandi leges de anno XXI, cap. x)

II.

Si servus noster occisus fuerit, etc. (Auctoritate codicum Vercellensis et Eporediensis in Edictum recepimus inter Liutprandi leges de anno XXI, cap. xi.)

III.

Propter Deum et ejus misericordia precipimus atque statuimus, sola pietatis causa, ut si aldio noster occisus fuerit, medietatem de ipsa conpositionem tollat curte nostra, et medietatem parentes ipsius defuncti, si vivo patrem habuerit aldione nostro, sibe matrem, sibe fratres, sibe filii.

IIII.

Hoc precipimus, ut nullus presumat nec da servo nec da aldione nostro aliquid emere; quia pro cautella et pro futuris temporibus per omnes curtes nostras breves facimus de omni territuria de ipsas curtes pertinentes. Unde precipimus, ut qui amodo inventus fuerit de servo aut de aldione vel abthia de curte nostra aliquid emere, ipsum perdere habet, sicut qui res alienas malo ordinem invadit; et si actor consenserit aut conscius fuerit, res ejus tollere et inpublicare faciat. Quia debet omnis homo considerare propter Deum et animam suam, quoniam nos illum relaxavimus a livero cremannos, quod nobis in curtis nostras secundum antiquo Edicto legibus pertinebat; quoniam qui unam filiam relinquebat, tantum in tertiam pars substantiae patri suo succedebat, et duas in publico revertebant si propinquus parentes non habebat; et si duas filias habebat aliquis aut amplius, in medietatem tantum succedebant patri suo, et publicus in medietatem: et ecce nos modo omnia de talibus causis propter Deum et ejus misericordiam relaxavimus. Proinde unicuique debet sufficere sua substantiam, et non debet cupiditatem habere contra rationem conparandum da servo aut de aldionem vel abthia nostro. Unde qui hoc facere presumpserit, conponere habet sicut scriptum est; insuper in perjurii reatum nobis conparuit pertinere, eo quod nobis juratum habet quod nobis fidelis sit;

et qualis fidelitas est, dum ille cum judicis aut actorem aut aldionem vel servo conludium facit, et res nostra contra nostram voluntatem invadit? Quia hoc statutum est in Edictum, ut qui de servo aut aldionem conparaverit, perdat pretium; et quale legem unusquis Langobardus sibi habere vult, talem debet ad curtem nostram conservare. Et quis modo conparavit aut infiduciavit, perdat pretium suum secundum Edicti tinore; qui vero hoc modo facere presumpserit, et pretium perdat, et sicut qui res alienas malo ordine invadit nesciente domino conponat: actor vero amittat substantiam suam qui hoc consenserit, sicut superius legitur. Nam si nos relaxavimus, unusquisque habere debeat cui preceptum fecimus aut fecerimus.

(Huc item referenda Liutprandi regis capitula clvii — clxiiii; forte etiam capitula xxviiii, lxiiii, clvi.)

Rachis regis.

(Kalendis martiis, anno DCCXLV et DCCXLVI.)

(Huc pertinent, quae ex codicibus in ipso Edicti corpore edidimus, Rachis regis capitula i-iiii et xiii-xiiii.)

[Aistulfi regis.

(Anno DCCLIIII — DCCLVI.)

I.

Et hoc addi placuit nobis, ut nullus sacerdotum in rebus Langobardorum auctoritate propria absque judicio calculorum intrare presummat, neque quisquam Langobardorum in rebus eclesiarum, sacerdotum, sive clericorum, prevalendum intrare presummat. Si quis amodo tam Langobardus quam clerus rem sibi indebitam absque judicio usurpare presumpserit, qui convictus fuerit hec fecisse ea sententia feriatur, ut eandem rem quam invasit cum alia tale eidem cui vim ablata est restituat.

II.

Villa exceptro villarum, et piscatoria manufacta, et quicquid fossibus aut sepibus vel etiam alium genere clausurarum munitione precingitur, edodem inmunitate et temeratoribus dicatur campo et silva que sine laborationibus sunt nullo modo munitione cinguntur, non plus inmunitate nomina conplete, quam claustra monasterii.]

IV.

Karoli Magni

Francorum et Langobardorum Regis

Capitulare,

e codice Eporediensi XXXIIII, fol. 26, b.

SECRETIORES.

CAP. I.

Quod, Deo miserante, filii nostri etatem habent, et, excepto paterna consolatione, per se ceteris hominibus praecellere debent.

II.

De consiliariis, et ut illi semper audiantur, quia ad profectum et utilitatem communem consilia sua proferunt; qui vero de propriis potius quam de communis considerare solent, reiciantur de loco consilialiorum.

III.

Quomodo causam confinales nostri odio semper habent contra illos, qui parati sunt inimicis insidias facere et marcam nostram ampliare.

IIII.

De episcopis, presbiteris, diaconibus vel clericis interdixit per omnia magna sinodus, ut nulli episcopo vel presbitero atque diacono sive clerico liceat habere mulierem simul nec ancillam aut aldiam quae in opinione adulterii manet aut difamatur, nisi forte matrem aut sororem aut amitam; simul nec et ipse in casas ubi ipsi manent esse non debeant: et qui hoc facere ausus fuerit, bannum nostrum ad partem nostram conponat.

V.

Et postquam hoc capitulum adnotare jussimus, et per regnum nostrum cuiquam de nostra jussione conmendatum fuerit, et alio modo fecerit, nisi quod nobis et nostris fidelibus placitum est, quiscumque nostra jussione in dispectum habuerit, bannum nostrum dupliciter ad parte nostra conponat; et postea ipse reus appareat in sancta sinodo, et secundum canones judicetur. Et placuit nobis, ut quiscumque de fidelibus nostris hoc actum a nobis jussum habuerit ad inquirendum per regnum no-

strum, ubicumque inquisierit, quales seniores homines in ipsa loca fuerint manentes, eos sacramentare faciat, ut per ipsos veritas declaretur.

VI.

De illis hominibus vel sacerdotibus vel quibuslibet per regnum nostrum, qui propter premia vel parentellas de nostra justitia inquirentibus aut emendantibus vicia veritatem ofuscare volunt missis vel fidelibus nostris, ut se in perjuria mittant: jubemus atque praecipimus, ut si suspitio fuerit quod. perjurassent, ut postea ad campum vel ad crucem judicetur, ut ipsa veritas vel perjurium fiant declarata. Et si Domini fuerit voluntas, quod per ipsa judicia veritas aut perjurium declaretur, tunc volumus atque jubemus, ut si sacerdos vel clericus fuerit, dupliciter bannum nostrum persolvat, sicut superius decrevimus, et postea secundum sanctos canones judicetur; et si laicus fuerit, widrigild suum ad partem nostram persolvat.

In Capitulari quod Pertzius edidit sub nomine Hlotarii in Maringo, anno DCCCXXV, x kalendas martias, idem codex, fol. 31, inter secundum et tertium hoc addit capitulum, quod deest in editione Pertzii, Legum T. I, p. 241.

III.

Placuit nobis de illis hominibus, qui se liberos per triginta annos esse dicunt, volumus adque instituimus, ut per hanc probationem liberi non sint, nisi de ingenuo patre vel matre nati sint, aut cartam libertatis ostendant.

Dein capita quae in editione sunt 3 et 4, in codice Eporediensi sunt IIII et V. Vox *tercio* in fine Capitularis deest.

V.

Adelchis
Beneventanorum Ducis
Capitulare.

I. Si servus libera uxorem tulerit.

II. De homine pagano.

III. Si mulier morginicapud factum non habuerit aut factum perdiderit.

IIII. Si quis testem si quisque manibus suis subscripserit.
V. Si quis rem suam obligaverit, et eam postea vendiderit.
VI. Si juraverit quis et perjuraverit.
VII. De munimine perdita per ignem aut depredationem postea.
VIII. Ut brebes nonnisi notari scribant.

Omnipotens universitatis Dispositor quondam, ut ei placuit, Italiae regnum genti nostrae Langobardorum subdidit. Quorum quidem regibus jam feliciter regnantibus Inspirator bonorum omnium in eorum dignatus est pectoribus serere quemammodum legis decreta communi concilio sancirent, quibus subditus populus cunctaque gens illa legaliter vivens, nullusque metas statutae legis excedens adversus alterum nihil sinistrum auderet perficere. Idem vero reges, si contra coelitus illa decernere valuerunt, ita prudenter atque humiliter scriptum relinquere voluerunt, ut sequentes reges quaeque superflua in eorum Edictis forsan aspicerent, pumice frangerent; et quaeque minus quam oportuerit forent, pro temporum qualitate adicere non resurgerent. Quod ita caute factum a quibusdam est regibus postea regnantibus, veluti in eorum statutis cognoscitur. Ejusdem vero famosae gentis tunc gloria permanente, subito Gallorum gens primatum et capud regni illius invasit. Eo quoque tempore rex DESIDERIUS Langobardorum sceptrum tenebat, cujus gener eodem tempore erat Carolus Francorum rex, qui, sedi ejus invidens et insidians, contra eundem subdole et callide agere non refugit. Quo quidem capto atque in custodia posito, regnum Italiae gentemque Langobardorum suo imperio subdidit. Sicque, decreta dispositione Conditoris eadem gente ad minima decidente, ducatum tunc Beneventi gubernabat ARECHIS dux, romanus, catholicus, atque magnificus; qui, imitator existens majorum, suae gentis reliquias rexit nobiliter et honorifice, et, sequens vestigia regum, quaedam capitula in suis decretis sollerter corrigere seu statuere curavit, ad salvationem et justitiam suae patriae pertinentia; quae utilia nempe sunt, et inserta in Edicti corpore retinentur. Longo autem post tempore ad nos quoque ducatum ipsius reliquiarum gentis supernae pietati producere placuit, quos jam infestatio multarum gentium valde opprimit, quae nostros concives conterere et dissipare non desinunt, plurimas nostrorum villas oppidaque cremantes et disperdentes. Et liceat ista nostro excreverint tempore, quibus multum mestificamur, simul et habundaret nequitia profundam caepit nostratium, quibus unus contra alterum semper molitur insidias, statuta antiquae legis excedens, cupiensque frequenter quo-

cumque modo suo nocere proximo: de quibus indesinenter animus noster contristatur. Propterea, dum talia recidere et corrigere tractaremus, sequentes praephati ARECHIS excellentissimus ducis aegregium exemplum, ad imitationem ejus quaedam instituere providimus capitula ad amputandas quorundam nequitias congrua. Ideo, communi habito eloquio in hoc nostro Beneventano palatio cum domino Adone fratre nostro venerabili episcopo, seu cum comitibus, abbatibus, caeterisque nostris magnatibus, anno aeducatus nostri duodecimo, mense martio, et indictione quinta, eadem capitula statuire sollicite curavimus, quibus omnis iniquus suam malitiam et iniquitate retundere et refrenare debeat. Quae nimirum in Edicti paginis inserere praecepimus perpetuo jure retinenda: quorum primus iste est

Cap. I.

Si cujuscumque servus liberam sibi uxorem tulerit, qui ad palatium juxta legem pertinebat, utique pessima extitit consuetudo; ut eas personas quisquis vellet expeteret. Amodo autem et deinceps statuimus, ut tanta perversitas nullum habeat locum, sed ipse solummodo eos habeat semper, cujus primum ille fuerat servus, etiamsi illos a palatio numquam repetat; nam potest fieri, ut ipsum solum habeat dominus suus, quem si hac occasione amiserit, efficietur pauperrimus. Sed seu unum sive plures habuerit famulos, et in uno quolibet eorum istud acciderit, dominus suus, uti decretum est, eum cum illam quam sibi uxorem tulerit possideat perpetim cum filiis eorum. Et si quis temerarius eos a palatio petere deinceps presumpserit, petitio illius cassa permaneat.

II.

Si quis a quocumque fuerit plagatus, et plagam judex presentaliter factam aspexerit, et adversarius illam ei egisse negaverit: preveat sacramentum plagatus, quod certius ipse supra quem proclamavit illam ei fecerit quam ostenderit plagam; postea vero improbus persolvat illi juxta Edicti tinorem justitiam absque tergiversatione aliqua.

III.

Si clarum manifestumque fuerit quamlibet feminam consuete et legaliter habuisse maritum, et quartam seu octabam habuisse ab eo sibi factam, eamque pro perturbatione temporis perdidisse quomodocumque, vel si etiam, ut accidere solet multotiens, quartam eamdem vel octabam non fuerit scripta, propinquus

mariti vel quilibet alter eamdem quartam vel octabam eidem mulieri rite competentem contrare minime presumat. De quibus si ulterius altercationem quisquam proposuerit, ejus quaerella nullum obtineat fructum; quoniam inicum et reprehensibilem videtur, ut quod omnes de suis retinent viris, aliquante mulieres pro incuria aut aliqua accidentia amittant.

IIII.

Si quis se testem in quocumque munime propriis manibus subscripserit de rebus quibuslibet forsitan facto ad se pertinentibus, statuimus, ut postea nullomodo inde valeat movere causationem; devet enim sollicite requirere et scire quid sit illud, ubi rogatur subscribere.

V.

Si quis rem suam obligaverit cuicumque, et denuo illam alteri vendiderit, et emptor ipsam ante faciem ejus, cui obligata fuerit prius, anno uno expleto possederit, postea exinde nul am controversiam his qui eam obligatam habuit valeat movere; quoniam neglectui ejus rite deputabitur, quod emptorem infra tot spatium exinde appellare contempsit, et quod ab illo obligatore nullam prius acceperit firmitatem. Quoniam justum videtur, ut magis his qui illud pretium dedit eamdem rem possideat, quam ille qui solam obligationem retinet.

VI.

Si quis juraverit, et cognitum fuerit certius judici quod perjurasset, aut famam habuerit perjurandi: si calumniator intentionem proposuerit, ex judicio judicis per pugnam ei approbet quod perjurasset fallaciter, et postea ipse qui juravit persolvat ei justitiam, si ceciderit, juxta tenorem Edicti.

VII.

Si casam vel quacumque rem aliquis per munimen habuerit et possederit, et illud munimen per ignem aut depredationem postea amiserit, et causator quicumque dixerit, quoniam eadem casa vel res quam possidet ei debeat pertinere legaliter: preveat sacramentum idem possessor cum parentibus, quod de eamdem rem vel casa veracia habuisset munimina, sed ea per ignem aut azalationem seu depredationem perdidisset. Si vero his qui quaerellam movit prius elegerit ille velle per pugnam approbare, solus juret qui ipsam tenuerit, quaecumque fuerit res, et sic ad pugna pergatur. Etenim considerandum est et veraciter credendum fieri

potuisse, ut multi sua munimina, velut dictum est, amiserint et amittant; dum et oppida et vilſe plurime a paganis cremate sunt, et, nostris exigentibus meritis, sepius cremantur et disperduntur: ideoque iniquum videtur, ut talibus accidentis amisso munimine aliquis id perdat si munimina inde non ostenderit, quod ei jure conpetit habere.

VIII.

Inconveniens usque modo consuetudo extitit, ut jam quisquis voluisset, si nosset, scriberet brevem undecumque opportunitas exegisset. Amodo autem decernimus, ut soli notarii breve scribant, sicut et cetera munimina. Et quiscumque deinceps brevis fuerit absque notarii subscriptionem ostensus, nullam retineat firmitatem; quoniam multos ex illis deprehendimus fuisse falsos, quod, Deo opitulante, cupimus ut ulterius non fiat.

VI.

Ad leges Langobardicas Glossae

Cavenses et Eporedienses.

I.

Glossae cavenses.

ROTHARIS.

cap.	vers.	ad vocem
1.	1.	*anima*) Anima ponitur pro corpore.
4.		Quando cultrum vel gladium in manica aut in sinum aut sub tunica adhinventus fuerit ante presentiam regis. aut comedendi aut bibendi venenam dare voluerit bene iste cogitavit contra animam regis.

GRIMOWALDI.

cap.	vers.	ad vocem
8.	1.	Rot. cap. 211.
9.	1.	Rot. cap. 251.

LIUTPRANDI.

cap.	vers.	ad vocem
14.	1.	Roth. cap. 4. In antea cap. 100. 40.
19.	1.	In cap. 57. et in cap. 99. et in cap. 117. et in cap. 77.
20.	1.	Roth. cap. 8. et 143.
36.	1.	Roth. cap. 245.
90.	3.	Roth. cap. 254.

cap.	vers.	ad vocem
91.	9.	Roth. cap. 243. R. c. 63.
96.	1.	Roth. cap. 361.
100.	1.	Roth. cap. 15.
103.	4.	Roth. cap. 89.
106.	1.	Roth. cap. 165.
108.	3.	Roth. cap. 252.
109.	5.	Roth. cap. 250.
113.	1.	Rot. c. 12.
115.	1.	Rot. cap. 188.

cap.	vers.	ad vocem
136.	4.	Rotari c. 306.
143.	2.	Rot. cap. 378.
147.	1.	Rot. c. 4. et in c. 14.

RACHIS.

1.	15.	Rotari cap. 366. — Liupr. 25.

AHISTULFI.

14.	1.	Areg. cap. 14.

II.

Glossae eporedienses.

(Marginales glossas ab interlinearibus hac nota distinximus m.)

ROTHARIS.

cap. vers. ad vocem

232. 9. *tunc*) .i. (*idest*) ad illum tempus.

267. m. Ista lex in pars vacuadum na lex liutprandi. Si quis res suas c..... in cujuscumque causa de conliberto suo. *(L. XIII, 2.)*

268. 2. *quia fugax est*). Foris provincia fugire temtaveri.

271. m. Capitulo lodoici qui incipit sic: Si mancipia de de *(sic)* domino suo fugierit innaliena (*in aliena*) potestate concordasse. exsplitoci *(explicat oc in ?)* ipsa lege de hoc quod dicit secundum eam solvere cogatur.

273. 7. *ille*) s. (*scilicet*) omo. (*Eadem glossa tercenties occurrit.*)

274. m. 1. Mancipium dicitur a manua capiendum, eo quod in ostes frequeter (*frequenter*) fieri solet. (*Justiniani Instit. I, III, 3, de Jure personarum; „Mancipia „dicti sunt, quod ab hostibus manu capiuntur.“*)

276-80. Vada in librando (*Liutprando*). Relactum est nobis, quod aliqui homini perfidi *(L. XIIII, 3)* uiuix jurate dicitur vixe dubio, sicut dici in canto: Vix justum salvabitur. R*(ecordare)* quia continet capitolo lodoici, qui incipit: Si servi per contumacio collec tulleri udrue orum c̃ annum.

277. m. Si quis romano abueri filii de femina langobarda, et ante quam ad legitimam uxore tulerit filios abuerit, et postea legitima feceri filio habueri, qualiter dividat zius, idest fratrem patris, aut avunculum, idest fratre matris.

cap. vers. ad vocem

291. 4. *figangit)* Idest transata morte.

303. m. Quare qui ille cujus sepi est nec suum pertinentem invovit a saliendum, et sic feceri, conponat pro eo; quia ipse cujus sepe esse clusura... vel suum pertinente moveba a saliendum: et si non movi, nichil conponat. Et possumus dicere verbi gratia provocasse.

328. 3. *intrigatu)* .i. plagatum. (*Item alias.*)
5. *jobemus)* .i. comandamus. (*Saepe alias.*)

330. 4. *nam)* .i. certe. (*Saepe alias.*)

347. fin. Nam si eum apsconse abueri (aut) aut eum venderi, conponat ipsum caballum in actogil.

355. 3. *incautam)* .i. non previsa.
4. *presumptionem)* .i. osacione.

360. 5. *excepto)* .i. anteposito.
8. *thingavit)* .i. donavi.

365. 1. *appellaverit)* .i. pulsaveri.
3. *dicernimus)* .i. statuimus.
4. *pulsatur)* .i. apellat.

366. 3. *pretexto)* .i. tinore.
5. *singolus)* .i. solus.

369. 5. *morh)* .i. mortem penetraveri in asconso.
6. *in suo vigore)* .i. in suo robore.

373. 1. *hoberus)* .i. curtis rupture.
1. *wacuor)* .i. si antesteri viam.
1. *marahw)* .i. jactaveri omine liberum de caballo.

385. m. Ista lege declara ut omo qui fueri inpintus et cecideri et accepi ibi plagas, non conponetur nixi de plagas; et si cecideri et non acceperi ibi plagas ex lexionem, non nixi det praedicta, sicut ista lex dicit.

GRIMOWALDI.

1. 3. *patrocinia)* .i. ajutorio.

2. (ibi 3) 5. *edoniare)* .i. purificare.

LIUTPRANDI.

De anno I.

1. m. L(*iutprandus*) in ista lege declara, ut qui habuerit filium masculinum legitimus, ipse debeant sucedere; et si non abuerit filium, filia legitima de-

cap. vers. ad vocem

beant sucedere, non alius. Ideo dice ut filii naturalis non debeant sucedere nec alii parentes vel curtem regis.

1, m. Si Langobardus deserit (*decesserit*), et relinqueri filia ex nepus, filio de suo filio etqualiter (*aequaliter*) sucedere debeant, quoniam filia non debet sucedere, nisi tantum filium; si ergo filia totum succedit, plus filium sucedit.

De anno V.

1. m. Recordare quoniam non posi donare nec judicare omnes rex suas filium, idest de filia in caplllo abuerit justa lege duas. prima iniciatur ita: De eo qui filiam in capillo in ca abueri (*L. XIII, 1*). Secunda inicia sic: Si quis Langobardus volueri in fili suis (*L. XI, 10*).

1. fin. m. Re(*cordare*) de lege que inicitur sic: Nulli si licencia conjunge sue (*L. X, 8*) quoniam illi concorda se cum ista, quia dicit ut per nullum ingenium non posit omo dare sua uxore aliquit super morgincap et sponsaricio.

2. m. Re(*cordare*) quoniam per ista legetimus nosīcār langobardo tres aut quatuor testes extendum est, quia de convenencias non debet alius esse nisi credant ambe partes testimonium eorum que fueri tunc, justa lege et illa que inicitur sic: Si quis domodo in presencia regis (*Ra. 1*), et declara istas lege insta*nibil fuerint abet tres omine.

4. Ista tangit lege rohrari que incipitur sic: Si servum suum proprium aut ancillam suam propriam (*Ro. 224*), retro.

5. Ista lex tangi rothari que inicitur sic: Si servus dum in fuga est (*Ro. 256*); et alia lege que inicitur sic: De servis fugacibus (*L. V, 15*); loquitur de ac causa.

6. (*Haec bis scripta est; semel in margine, semel in scheda inserta in sutura codicis. In orthographicis textum modo hunc modo illum secuti sumus.*) In ac lege declara ut pater vel frater dare posit ad conjungium ante xii annos sua filia vel sorore, ex lege que inicitur sic: Advenientem vanissima

cap. vers. ad vocem

(*L. XII, 13*); dicit ut puer posit copulare in conjungium femina antequam ipse puer ante conplea XIII annos si pater ad avus (*scheda* aut adavus) ejus consenseri. Set istas sentencias ambe vacua sunt justa cap. Karloni et inicitur sic: Illut preteria. secundò et lodoicit, et inicitur sic: Ita inventi sunt multa; quoniam dicunt ut conjungium non potest (*margo* posit) fieri inter puerum et puellam antequam ambo pervenit et puberta (*margo recte* perveniant a pubertate, et puberta) in masculis XIIII annos conpletos et feminas duodecim annos conpletos, justa Instituta (*Idest Institutiones Justiniani, de Nuptiis, I, 10, princ., et Quibus modis tutela finitur, I, 22, princ.*)

8. (*Haec item bis scripta.*) R(*ecordare*) quoniam in lege non apella mulier propinqua parentes; et alia lege que inicitur sic: Si quis alii wadia dederint et fidejuxore (*L. V, 11*) declara similiter ut propinqui parentes masculi sunt de feminino ideo dico mater nec alii femine non posunt sucedere suum proprium, nixi illas quas rex nominatum precepit sucedendum.

id. (*Item bis scripta.*) R(*ecordare*) quoniam si soror deciderit (*margo* decesserit), frater et pater patris qui si ejus mundio. et soror frat̄ debet sucedere soror, quia ista lege non dicit de alia sorore nisi de illas sucedere (de illas sucedere *deest in scheda*) debeant pater et mater suas. Si ergo pater habet filium, sucedit patri, non filia. et si non est mundoalt frater, ille (*marg.* illi) cui pertinet mundium ipse sucedat, justa lege robari prima inicitur sic: Si puella aut vidua sponsata habuerit (*R. 215*). Ideo de mundoaldo id est si pater propinqui aut pater aut frater vel dederi vel donaveri.

De anno XI.

1. 38. *precedat*) .i. acresca.

3. 2. *matrinia*) .i. noverca.

4. 1. *previdimus*) ..i. statuimus. (*Item alibi*).

2. *amodo*) .i. deinces, in ante (*Item mox*).

2. *presumat*) .i. osat. (*Saepe alias*).

cap.	vers.	ad vocem
	5.	*amittat*) .i. perdat. (*Item alibi*).
	9.	*adfiximus*) .i. adfirmamus. (*Item alibi*).
	9.	*Urbis*) .i. civitatem.
	11.	*adortavit*) .i. afirmavi.
	12.	*nullatinus*) .i. nullo modo.
14.	2.	*launigild*) .i. wirardonum.
	m. fin.	Ergo estimo si jurare ausus non fueri de conludio, ut conponeri debet in dublum, quia dicit..... istius.
De anno XV.		
4.	6.	*ita*) .i. sic.
6.	6.	*quiscumque*) .i. qualicumque. (*Item alias*).
De anno XVIIII.		
1.	3.	*copolaverit*) .i. sociaverit in conjugio.
	4.	*morgincap*) .i. quartam partem.
	6.	*ponere*) .i. mitere.
2.	1.	*Recolimus*) .i. recordamus.
	1.	*enim*) .i. nam.
	3.	*amittat*) .i. perdat. (*Item alias*).
	10.	*ideo*) .i. proter oc.
	11.	*emerserit*) .i. evenerit.
	15.	*asto*) .i. irato.
	ult.	*vetare*) .i. negare.
3.	3.	*tamen*) .i. certe.
	6.	*bienni*) .i. duos annos.
	11.	*similiter*) .i. simili modo.
	15.	*meta*) .i. pena.
	24.	*genium*) .i. conludio.
	25.	*excrevit*) .i. acrescere.
	26.	*resegare*) .i. remanere.
	35.	*quispiam*) .i. si aliquis homo.
4.	1.	*fream*) .i. mundoalda.
	15.	*addimus*) .i. ajungimus.
5.	2.	*turpiter*) .i. verecundia. (*Item alias*).
	8.	*quispiam*) .i. qualiscumque homo.
	9.	*conpellaverit*) .i. apellaverit. (*Similiter alias*).
	18.	*puplicus*) .i. comes.
	28.	*tamen*) .i. certe.
6.	1.	*insipiens*) .i. non sapiens.
	3.	*egrotus*) .i. infirmus.

cap. vers. ad vocem

7. 1. *fororem*) .i. ira.
1. *accepto*) .i. recepto.
10. 2. *procreaverit*) .i. genuavit.
11. 7. *matrimonio*) .i. conjudio.
12. 2. (*wadiam suam*) *solvendam*) .i. liberandam.

De anno XXI.

8. fin. m. Vado supra ad Si quis servus noster occissus fueri (*L. XIII, 140*).

De anno. XXII.

3. 1. *Relatum*) .i. adnunciatum.
3. *mano fortia*) .i. virtute.
6. *collegere*) .i. adunare.
7. *eas*) s. mulier.
10. *plus crudeliter*) .i. plus male.
11. *exercuerunt*) .i. comandaverunt.
11. *hoc*) s. factum.
11. *ad nos*) s. sire.
14. *adfigere*) .i. afirmare.
17. *obprobrium*) .i. veracundia.
20. *internicionem*) .i. ocisionem.
22. *decalvare*) .i. taliare.
22. *frustare*) .i. scuvare. (*Etiamnum Itali* scopare.)
28. *prospeximus*) .i. statuimus.
32. *viri*) .i. omini.

De anno XXIII.

2. 2. *inmemor*) .i. non memor.
9. *non pepercit*) .i. non wardavit.
3. 2. *discendens*) .i. moriens. (*Similiter alias*).
7. *similiter*) .i. simili modo.
8. *exorta*) .i. nata.
10. *altercationem*) .i. intentione.
10. *ponentes*) .i. mitentes.

RACHIS.

1. Init. (*Nullus prologus; omissa etiam inscriptio: sed in marg. legitur*) Incipit domnus rachis cap. primo, et c(*etera*). lex Si homines infra wdia (*wadia*) presum fuerit et qui wdia dederit manifestat qui in tali tinore dediset sicut professaset cum (*verius ci.* rothari rex firmatur.

cap. vers. ad vocem

2. Lex Si libera femina servum copulaveri et LX annos in libertate permanserint sic le(*be*) re sit cum fili(*is*) filiabus suorum per ista libertate capitulare vacua....

7. m. 7. *pro simplicitatem*) per insipiencia vel per alia infirmitate.

m. 11. *excepto his çapitulis*) .... de viduis vel de orfanis aut de alio omine qui de causa sua agere nexi.

8. 2. *submittant*) .i. tramitant.

2. *secretum nostrum*) .i. consilio nostro.

3. *dicendo*) .i. apreendum.

3. *delicioso*) .i. mali.

4. *hostiario*) .i. drudo regis.

4. *alios*) .i. amabiles.

4. *captiosae*) .i. frudolenter.

4. *absconsae*) .i. geniose.

5. *invisticare*) .i. querere

5. *agamus*) .i. faciamus.

AHISTULFI.

2. m. Tam lege legem rothari incoa sic: Si quis servum suum proprium aut ancillam suam propriam libero dimittere voluerit. (*Ro.* 224).

3. m. Questio abet lex ista cap. que dicit de fili (*sic*) cui pater per manu et rogatores omnes servos suos junxitor (*jusserit*) fierit liberos.

5. m. fin. s. ille suce (*sucedat*) qui per mundium suum fecit.

6. 1. *Pervenit*) .i. avenia.

VII.

Glossarium
Cavense.

Astalin, *id est* deceptio. aut fraus.

Anagrip, *id est* faida. aut inimicitia.

Aldia, *id est* de matre libera nata.

Aamund, *i. e.* a se extraneum.

Astogild, *i. e.* quod iniquo animo querit.

Arimannus, *i. e.* qui scutum dominicum sequitur.

Arischild, *i. e.* adunacio.

Aritraibus, *i. e.* solidos nungentos.

Aistan, *i. e.* irato animo.

Amissivus, *i. e.* naturalis.

Aydones, *i. e.* sacramentales legitimos.

Andegaveric et Arigilveric, *i. e.* cui donavit. vel aliquid stabile dedit. secundum legem Langobardorum.

Armentarius, *i. e.* qui supra grex boum. vel equorum.

Asto, *i. e.* voluntariae.

Ammittat, *i. e.* perdat.

Barbanus, *i. e.* patrius (*lege* patruus).

Bandum, *i. e.* vexillum.

Amenicula, *i. e.* ubi ube (*pro* uvae) pendunt.

Ambulatoria, *i. e.* pastora caballi.

Aborsum (*lege* Abortum), *i. e.* si se fragaverit.

Armenta, *i. e.* greges boum vel aequarum.

Arimanno, *i. e.* homo mundus liber.

Ariolus vel Ariolas, *i. e.* incantatores.

Aruspices, *i. e.* quod aram aspiciunt.

Ametanes, *i. e.* thie (*Italice* zie, e Graeco θεία).

Cespitibus, *i. e.* rebus et substantia.

Camphio, *i. e.* pugna seu pugnator.

Carolas, * * *

Condoma, *i. e.* curte ubi servi habitant.

Cespitibus, *i. e.* terris.

Cicatrix, *i. e.* signum vulneris.

Casindios regis, *i. e.* qui palacio regis custodiunt.

Casa mancipiata, *i. e.* ordinata.

Ancilla gentile, *i. e.* pagana.

Cautio, *i. e.* scriptura obligationis.

Defradin, *i. e.* dona. que ei in die votorum aliquid accepit.

Cassinam, i. *e.* casella.

Edoniare, *i. e.* liberare. seu defendere. vel firmare.

Faida, *i. e.* inimicitia.

Ferquidum, *i. e.* similem.

Fulfor, *i. e.* filius legitimus.

Fara, *i. e.* parentela.

Faderfido, *i. e.* quod adduxit da parentibus.

Fulfreal, *i. e.* qui per sacerdotes circa altare liberi sunt.

Ferea, *i.* e. esclum.

Figanti, *i. e.* ut semper habeat sibi.

Fus nachar, *i. e.* arvo campo stuppla.

Fidejussor, *i. e.* mediator.

Fraidan, *i. e.* refugium.

Exigatur, *i. e.* inquiratur.

Faida, *i. e.* inimicitia.

Fragaverit, *i. e.* leserit.

Facundia, *i. e.* eloquentia.

Filias in capillo, *i. e.* absque viri.

Guidribora, *i. e.* quattuor vias.

Gargathungin, *i. e.* saecundum qualitatem persone.

Gairethix, *i. e.* qui recipit donum.

Gisil giseli, *i. e.* liberi homines.

Gaida, i. *e.* casindios.

Gafar, i. *e.* coheredes parentes proximi.

Gajo, *i. e.* silva regis.

Guaregang, *i. e.* qui de exteras fines venit.

Gahamalos, *i. e.* confabulatos.

Gualapauz, *i. e.* qui se furtivum vestimentum alienum induerit, aut caput vel facie se transfiguraverit latrocinando animo.

Guidrigild, *i. e.* c. l. solidos.

Frea, *i. e.* puella que in alterius mundium est.

Gafandus, *i. e.* heredes proximi parentes.

Impans, *i. e.* qui in votum regis dimittitur.

Infaida, *i. e.* apud alienum refugium.

Iderzon, *i. e.* sepis aliena.

Instigatum, *i. e.* naufragatum.

In actigild, *i. e.* nouum (*lege nonum*).

Guecorin, *i. e.* qui per fortia adulteraverit femina libera.

Guarfida, *i. e.* consuetudo antiqua.

Lidinlaib, *i. e.* in die obitus sui.

Launegild, *i. e.* donum vel meritum.

Liberta, *i. e.* qui libera dimissa est.

Lagi, *i. e.* supra genuculum.

Lang, *i. e.* longam vard.

Lithingi, *i. e.* quidam nobilis.

In pensilem, *i. e.* in sua proprietate.

Interremtus, *i. e.* occisus.

Marphais, *i. e.* statutor (*lege* strator.

Morgincaph, *i. e.* quartam partem.

Meta, *i. e.* promissio quod marito facit uxori antequam tollat.

Matrinia, *i. e.* nuvercam.

Modola, *i. e.* quercum.

Morioth, *i. e.* super cubitum.

Maragohris marchugoris, *i. e.* qualibet minorem causam.

Jugera terre, *i. e.* quantum arare possunt cum xl paria boum.

Oberus, *i. e.* curtis ruptura.

Odan, *i. e.* quem adjecta litera godan dixerunt. ipse est qui apud romanos mercurius dicitur. (Ex Paul. Diac. Hist. lib. I, cap. viiii.)

Obfuscetur, *i. e.* obscuretur.

Lex dicitur ad ligandum, id est quia ligat pravos homines. lex enim dicitur eo quod animos nostros liget.

Ploderaub, *i.* e. spolia de mortuorum.

Proditor, *i. e.* indicator.

Pleuma, *i. e.* palu de lugo.

Pulsaib, *i. e.* percutere.

Sculdhais, *i. e.* Rector loci.

Scala, *i. e.* patera.

Stalaria, *i. e.* salicem.

Scamera, *i. e.* furones.

Scilfor, *i. e.* armiger.

Siliquas, *i. e.* vicesima pars solidi.

Sancimus, *i. e.* statuimus. decrebimus.

Stolesaz, *i. e.* qui ordinat conventum.

Silmundia, *i. e.* in sue potestatis arbitrium.

Soga, *i. e.* funem.

Sonor phair, *i. e.* verrem qui alios verres in grege vincit.

Sudes, *i. e.* palus.

Maccinam, *i. e.* pontonem.

Muttaverit, *i. e.* prestavit.
Mundium, *i. e.* pertinentia.
Threus, *i. e.* homines metiani. qui non sunt nobiles.
Thinx, *i. e.* donatio.
Trino, *i. e.* subtus cubitum.
Trewam, *i. e.* quod auctor (*lege* actor) publicus facit
Trotigin, *i. e.* arsenicu (*Num ab ἀρσενικός?*)
Tibia, *i. e.* gamba.
Roborem, *i. e.* sorbum.
Ritu, *i. e.* consuetudo.
Uidribora, *i. e.* libera.
Uecorin, *i. e.* orbitaria.
Uarfida, *i. e.* consuetudo.
Vegoren, *i. e.* minoremculpam.
Uncie sez, *i. e.* medietas.
Zabas, *i. e.* adunacio.
Noverca, *i. e.* matrinia.
Oriatur intentio, *i. e.* nascatur.
Prohibuere, *i. e.* antestare.
Preest, *i. e.* super est.
Perpretare, *i. e.* incitare.
Pro-puslai, *i. e.* pro una ferita.
Plovum, *i. e.* incibo arati.
Redimere, *i. e.* comparare.
Res, *i. e.* substantia.
Resecatum, *i. e.* deliberatum.
Sculca, *i. e.* guardia.
Mort, *i. e* homicidium.
Magisrer commacinus, *i. e.* fabricatores.
Creditor, *i. e.* cui (*lege* qui) prestaverit.
Anegrip, *i. e.* secretum mulieris.
Asto, i. *e.* voluntarie.
Sala, *i. e.* domo in curte facta.
Septimum genuculum, *i. e.* usque in vii generationem.
Silmundia vivere, *i. e.* usque in arbitrium sue potestatis vivere.
Solum edificandum, *i. e.* casa faciendum.
Servus massarius, *i. e.* servus qui ordinatus est super alios in domo senioris sui.
Sepe stantaria, *i. e.* sero lata.
Stipulatio, *i.* e. promissio. vel confirmatio.
Saltarius, *quod est* cursores qui homines comprehendunt, id est exactores qui in loco est.
Sponte, *i. e.* voluntarie.
In exercitu, *i. e.* in publica oste.
Thinga im gaida, *i. e.* donare in publico.
Throthingo, *i. e.* designavit vel judicaverit. aut definierit.
Uncias duas, *i. e.* sextam pars.
Ultimum, *i. e.* novissimum.
Cenodochia, *i. e.* ubi peregrini excipiuntur.
Resecare, *i. e.* funditus tollere.
Zabas, *i. e.* fabulas.
Casui, *i. e.* a cadendo.
Sepe, *i. e.* cotidie et semper.
Siliquas, *i. e.* vicesima pars solidi, ab arbore cujus semen est vocabulum tenens. (*Ex Isidori Orig. XVI*, 24.)
Roborem, *i. e.* sorbum.
Jure, *i. e.* legem.

EXPLICIT GLOSSA.

VIII.
Glossarium
Matritense.

ITEM PAUCA DE GLOSA.

DECRAPURCI GUARVI, *i.e.* sepultura.
RAIRAIB, *i. e.* homo mortuus in flumine.
VECORION, *i. e.* orbitaria. qui mulieri via antesteterit.
SCAMARA, *i. e.* furtum.
ASTALIN, *i. e.* decipere.
EVIDRIGILD (*lege* WIDRIGILD), *i. e.* centum quinquaginta solidos appreciatus fuerit.
INANGARGATHUNGIN, *i. e.* secundum arbitrium regis.
EVALAPAUZ (*lege* WALAPAUZ) *i. e.* violenciam quam disfigurando fecerit.
FAIDA, *i. e.* inimicitia.
PULSAI, *i. e.* percussio.
FERQUIDUM, *i. e.* similem.
STOLASAIZ, *i. e.* districtus.
FULBOR, *i. e.* filius legitimus.
THREUS, *i. e.* filius naturalis.
PATRUI, *i. e.* barbani.
MUNDIO, *i. e.* dominio.
EAIRETHINX (*lege* GAIRETHINX), *i. e.* obligatum donum.
GISIL, *i. e.* qui donum recipit.
LIDINLAIB, *i. e.* quod in die obitus sui reliquerit.
FARA, *i. e.* rebus.
META, *i. e.* obligatio in die nuptiarum.
MASCA, *i. e.* striga.
CAMPHIO, *i. e.* pugna.
MESSIO, *i. e.* arre.
SILMUNDIA, *i. e.* vivendi in sua potestate.
ANAGRIP, *i. e.* manu agrippare carnem.
FULFREAD, *i. e.* quarta manu.
EVIDRIBORA (*lege* WIDRIBORA), *i. e.* per quadrubium.
GAIDA ET GISILEUM, *i. e.* ferrum et astula sagitte.
ANDECABERC ET AGRICABERC, *i. e.* secundum legem Langobardorum.
ACTIGILD, *i. e.* sibi nonum.
MASSARIO, *i. e.* qui super est.
AMUND, *i. e.* liber.
TECLATURA, *i. e.* sinaida.
EAFAND (*lege* GAFAND), *i.e.* heres.
FIGANGIN, *e. e.* tentus in furto.
INFRAIDA, *i. e.* refugium.
AISTAN, *i.* e. irato animo.
OBEROS, *i. e.* curtis ruptura.
IDERZON, *i. e.* sepis.
EXEGIAS, *i. e.* pertica divisa.
PLOBUM, *i. e.* jugum.
AMMINICULA, *i. e.* adjutoria de pali.
ERAVICE (*lege* TRAVICE), *i. e.* aravicellum (*lege* travicellum) vitis.
CAGIO, *i. e.* gualdum.
EDONIARE, *i. e.* absolvere.
SONOFRAIR, *i. e.* qui alios verres in grege battet.
STUPLA, *i. e.* restutio.

FURNACCAR, *i. e.* campo non clauso.
GAMAALOS, *i. e.* confabularios.
EVAREGANC (*lege* WAREGANC), *i. e.* advena.
MORT, *i. e.* homicidium.
EVECWORF (*lege* WECWORF), *i. e.* orbitario. qui mulieri via se anteposuerit.
CASINA, *i. e.* casile.
ARIARAIB, *i. e.* cum justitia.
MORIOTH, *i, e.* brachium super cubitum.
ERINO (*lege* TRINO), *i. e.* subtus cubitum.
LAGI, *i. e.* coxa.
TIBIA, *i. e.* subtus genuculum.
MARAGWORF, *i. e.* qui hominem liberum de cavallo in terram jactaverit.
STALARIA, *i. e.* salices.
USUSFRUCTUS vocatur quia solo usu habetur ejus fructus.
SILIQUA, vicesima pars solidi.
ADVERSA PARTI, *i. e.* contrarie parti.
ADDAT, *i. e.* adjungat.

(In hac voce *adjungat* desinit mutilus codex Matritensis).

IX.

De filiis clericorum

Constitutio

sub romanorum imperatorum nomine conficta,

e folio praeposito codici Vercellensi LXXVI.

DE DIACONORUM, PRESBITERORUM, ET EPISCOPORUM SUBOLE.

IMPERATORES THEODOSIUS, ET HONORIUS, ET ARCADIUS, ET GRATIANUS, ET VALERIANUS, ET VALENTINIANUS AUGUSTUS AD AURELIUM PRAEFECTUM URBIS ROMAE.

In septimo libro Gaji.

Per omnes nostrorum regnorum provincias, quae sub nostrae salutifere tuitionis regimine sive salubri imperio vivere noscuntur, quarum negotia nostris praesulibus aequo jure dirimenda commisimus, hanc eis sumo et vigilanti studio providae sollertiae praecipimus adhibere industriam, quatenus ut non sinantur diaconorum, presbiterorum et episcoporum suboles, qui post eorum consecrationem de eorum nefaria et scelerosa commixtione nati probantur, ad ullius dignitatis apicem ascendere. Sed omnium nostrorum praesulum ipsi cuncti dominio et potestati, ubicumque

inventi fuerint, mox subicientur obnoxii. Ut in foro nostro, in quo universae nostrae reipublice negotia justo examine ventilantur, nullam habeant postea communionem degendi aut litigandi inter satrapes et magistratus et consules; quia nostrorum et eorum rethoricam cenolosijam fedare videntur: sed mox a nostris presulibus capti aut igniferae coquinae sive latrine stercora vel cenosas sordes cloacharum civitatis et sterquilinia pontium et aquaeductuum curandi officiis atque purgandi tradantur. Si quis igitur ex nostris praesulibus ea quae superius diximus facere distulerit, honore quem a nobis accipere promeruit careat. et quinque librarum auri pondera de suo proprio nostrae camerae cogatur persolvere.

---

50 (2)

REGUM LANGOBARDORUM

LEGES DE STRUCTORIBUS

QUAS

C. BAUDIUS A VESME PRIMUS EDEBAT CAROLUS PROMIS COMMENTARIIS AUXIT

SECUNDUM EDITIONEM

AUGUSTAE TAURINORUM

REPETENDAS CURAVIT

J. F. NEIGEBAUR.

MONACHII, G. FRANZIUS.

(MDCCCLIII.)

Lectori benevolo S.

Eques Carolus Baudius a Vesme, Regni Sardiniae Senator, vir eruditissimus, socius literarum academiae quae Augustae Taurinorum floret, regum Longobardorum legum editor, commentarium equitis Caroli Promis in legem Rotharis de structoribus ex tomo monumentorum historiae patriae Regni Sardiniae publicavit. Quem libellum, qui docet, quomodo veteres, atque etiam optimi aevi architecti vasa in opere fornicato aeque ac in muris adhibuerint, quum rarissimus obveniat, denuo edendum curavi, habita ratione correctionum factarum a dicto Vesme in libro, cujus titulus est „dell' edizione delle leggi Langobardiche ed osservationi e sciarimenti, Torino 1847," unaque additis notis criticis et variis lectionibus quas idem auctor dein collegit.

Dabam Vratislaviae Calend. Aprilis MDCCCLIII.

Neigebauer.

Quum Viro re vera erudito, Carolo Baudio a Vesme, a Curatoribus Historiae Patriae studiis promovendis, munus assignatum fuisset edendarum legum Regum Langobardorum, ille, pluribus vetustissimis optimaeque notae conlatis codicibus mss., editionem comparavit, quae procul dubio omnibus anterioribus Heroldi, Goldasti, Lindenbrogii, Muratorii, Canciani praeferenda sit, et infinita conlationis diligentia, et servata barbarica illa linguae ruditate, adiectisque maximi momenti Appendicibus. Alia quoque a doctissimo Viro subiicientur: thesaurus scilicet variarum lectionum multo labore depromptarum ex mss. codicibus Vercellensi, Eporediensi, Cavensi, Matritensi, Sangallensi, Parisiensibus et Guelpherbytanis duobus, ut ipse monet in Praefatione: erunt et adnotationes plurimae, indices, glossaria, historicae disquisitiones, codicum mss. typisve editorum descriptiones accuratissimae. Quae omnia, nemo melius quam ille nostras, cum incredibili diligentia et miranda doctrina, tum egregia voluntate praeditus, praestare potest.

Inter leges iam pridem vulgatas particulae erant de structoribus (Rotharis § CXLIV, CXLV) qui ab oris natalis Larii lacus apud oppidum Novocomense, necnon a finitimis locis egressi, Magistrûm Comacinorum inferiore aevo nomen obtinuerint, quique per totam Italiam usque ad XIV saeculum, aedificiorum omnium seu architecti seu artifices fuerunt, saepius etiam utrumque: sed illae, quamquam structorum nomen referentes, re vera structoriam artem minime respiciunt, sed damna tantum fortuita, que dum aedificatur contingere possunt praecipue ruentibus ponderibus, uti tigno vel saxo, illatoque vulnere aut nece vel structoribus

ipsis vel alienis hominibus. Hae particulae tantum, nunc primum editae, ad artem structoriam spectant, et ex iis solum cum operarum pretia artificumque stipendia, tum tenebricosae illius aetatis consuetudines aedificatoriae adhuc prorsus ignotae satis liquido innotescent.

Lectionis perspicuitati maxime obstabat incredibilis ipsorum textuum barbaries ab amanuensium ignorantia mire aucta et involuta: erant et voces glossatoribus ignotae: erant particulae tanta lectionum varietate discrepantes, ut nulla esset eligendi certitudo. Curavi itaque pro viribus, ut singulae particulae ad literalem saltem sensum redactae essent; quae deinceps obscuriora et magis involuta remanserant, perpetuis scholiis munivi, schematibus etiam rem effinxi.

Inter leges editas hae inscribuntur sub titulo ITEM MEMORATORIVM DE MERCEDES COMMACINORVM, meque admonuit Cl. Baudius unum codicem Eporediensem eas referre inter Edictum Grimoaldi et Edictum Liutprandi: tresque tantum alios codices eas habere; ex quibus, in Matritensi et Parisiensi 4613, eis locus datus post leges Liutprandi, nulla addita speciali rubrica; in Cavensi vero, Memoratorium sequitur quidem Edictum Liutprandi, adnotatione tamen praemissa, expletas esse leges a Liutprando latas, hasque particulas posteriore aetate fuisse subiectas.

Hoc denique moneam, Barbarorum leges iura publica et civilia tantum respexisse, hoc est commercia et rationes inter dominatores et subiectos; solos vero Langobardos, Italiam antiquam artium reginam tenentes, rei structoriae momentum sensisse, legesque ad rem dedisse, quae saltem probant teterrima illa aetate architectos atque structores, Italos veteres fuisse, et tunc temporis in Italia plura aedificia et minori inscitia extructa, quam apud exteras gentes.

Aug. Taurinorum. Kal. Martii MDCCCXLVI.

MEMORATORIO

de mercedes comacinorum.

Cap. I. de Sala.

CLVII. *Si sala fecerit, reputet tegulas in solido uno numero sexcenti; si in solario, tegulas quadringenti in solidum unum vestitum: quia quindecim tegulas viginti pedes lebant.*

Quid *sala* sit, satis explicant Rotharis § CXXXIII, CXXXVI, stabulum nimirum et pastorum mansio. *Salae* vero humi tunc temporis habitae, et in eis accensus ignis, indeque ab amplitudine translatum nomen ad oecos magnos nostrarum aedium, in quibus caminus medio iam pavimento locatus, postea et nunc parieti adiectus cum fumariolo: unde, frequentissima in medii aevi monumentis salarum mentio, non illarum priorum Langobardicae aetatis, sed posteriorum saeculorum, quaeque prius humi extructae, postea ad primam contignationem ascenderunt: *caminatas* praetereo hoc loco, de quibus agunt etiam leges nostrae § CLXI, qua voce post VIII saeculum significati fuerunt caminus ipse et cella in qua caminus esset; fuit et *sala caminata*, de

qua vide anonymum poëtam Modoëtiensem saeculi XIII (apud Frisi *Memorie di Monza* III 235). Solarium vero superiorem esse contignationem, abunde notum est: Romanis antiquitus in usum fuisse probat illud Plauti (Miles Glor. v. 340), necnon Svetonii, aliorumque verba: homines vero medii aevi solarium dixerunt aedem quamlibet una et altera contignatione instructam, unde gentibus inditum nomen, praecipue apud nos: nominis vero et rei usus et mos extant apud Sardos, qui in solariis horrea sua habent, humi morante familia. Consuluit vere lex laboris et impensarum incremento vel evehendis tegulis usque ad secundam contignationem, vel ipsarum confringendarum auctae occasioni.

Quia quindecim tegulas viginti pedes lebant.

Quia xv tegulae cooperiunt spatium xx pedum quadratorum: una scilicet tegula refert superficiem pedis cum triente, quae tegularum ratio eadem est ac illa antiqua Romanorum, hodierno quoque tempore Romae et Florentiae habita. Verbo *lebare* carent glossarii, attamen illius sensus minime obscurus verbi *velle* locum obtinet: *quodlebit damnum* legimus in lege Rotharis § CXLV, ubi *quodlibet* seu *quodvis* intelligendum est, unde *lebare* seu *lebere* pro *libere* vel *lubere*.

Maior vero agitatur disputatio de quo pede agant leges Langobardicae. Percelebris pes ille qui in Italia pluribus abhinc saeculis usum obtinet, quique a Liutprando rege nomen accepit, et memoratur ab anno saltem 915 (*Docum. per la Storia di Lucca V.* 3. 83): de eo disseruerunt viri docti, inter quos eminet Dominicus Maria Mannus libro cui titulus *Del Piede Liprando etc.* (inter opusc. Calog. X. 125), ficto nomine

Tubalchi Panichii: nuperrime etiam Petrus Rocca typis Genuae mandavit libellum de ipsius origine (*Investigazioni sulla vera origine del Piede Liprando 1842. 8°*), in quo Manni observationibus et argumentis nova monumenta adiecit ex chartis et diplomatibus recentius vulgatis deducta, novamque spopondit dissertationem: ab utroque multa quidem allata scriptorum verba, monumentaque exposita fuerunt ad rem declarandam, nodus vero insolutus remansit, nulla enim ab ipsis producta comparatio pedis Liutprandi regis cum alia nota mensura. Utrum ex hisce disquisitionibus lux aliqua emerserit, videant viri eruditi, mihi enim densissimae illae tenebrae minime rarefactae videntur.

Adsunt et Pauli Diaconi verba, quae Manno et Roccae ignota extitisse admodum miror: ego hic exponam, ut omnimodis argumentis non careat quaestio, non quia ex illis veritas per se ipsam luculenter innotescat. Sunt haec (De gestis Langob. lib. I. 5). „Denique in Italia, sicut et antiqui scripserunt, circa diem „Natalis Domini, novem pedes in umbra staturae humanae hora sexta metiuntur. Ego autem in Gallia „Belgica, in loco qui Tonis-Villa dicitur, constitutus, „status mei umbram metiens, decem et novem et semis „pedes inveni.“ Primus in loco Diaconi inlustrando se protulit Josephus de Rinaldis scripta dissertatiuncula, oblatis schematibus (Op. Calog. vol. XLV), de Pauli duplici assertione, altera alteram ad nihilum reducente, silentium servavit. Sunt etenim in Pauli verbis duo contrariae affirmationes seque invicem delentes; si etenim, umbrae longitudinem pedum IX (quae est in Italia) Romae, commoditatis causa, collocemus, tunc nobis die solstitii hiemalis, erit hominis seu gnomonis altitudo pedum tantum IV $^{127}/_{1000}$, serbato romano pede

antiquo, qui Pauli experimento facto in Gallia Belgica oppido Tonis-Villa (*Thionville?*) mire convenit; huius oppidi enim, cum altitudo poli sit graduum 49° 26, data proiectione umbrae praedicta die, ammissaque hypothesi auctorem usum esse eodem pede, habebimus hominis stantis altitudinem romanorum pedum VI efficientium metricae, uti vocant, mensurae 1,77: statura praecipua quidem, non autem immanis, nam Langobardos homines corpora alta et valida habuisse, ut Germani omnes, satis compertum est. Itaque, si Paulo fides danda, tum cum de experimento loquitur a se ipso instituto, vulgaris vero Italorum traditio reiicienda sit, tunc nobis compertum erit Caroli Magni aevo veterem Romanorum pedem adhuc in usum fuisse. Animadvertendum item est, barbaras gentes omnium disciplinarum rudes vel potius ignaras, mensuras a Romanis necessario obtinuisse; mirandum tamen non esse, si in tanta rerum scientiarumque iactura artifices quoque aliquid a vera antiqua mensura recesserint, et pes ille vetus corruptionem vel minimam sit passus.

Cuius argumenti maxima probabilitate ductus, romani pedis notitiam et usum apud Italos tunc temporis fuisse, publicamque seu legis seu consuetudinis sanctionem habuisse, fidenter affirmabo, atque ad meam roborandam sententiam nova adiiciam documenta.

Sexdecim digitis constabat pes ille, ex quibus duodecim (sive tres ex quatuor partibus) romanum palmum hodiernum effecerunt; florentinum, uti vocant, brachium duos ex hisce pedibus numerat; romanus pes duodecim digitis auctus (sive pes vetus addito hodierno palmo) pedemontanum pedem genuit; pes bononiensis veteri pedi ferme aequatur addito quadrante; quae rationes, non quidem ad unguem exactae, parum tamen

re ipsa absunt. Si vero hodierni hi pedes (reliquos enim omitto minus accuratas rationes habentes) ab antiqui partibus seu digitis originem duxerunt, haud dubium homines septimi octavique saeculi romanam mensuram satis exacte cognovisse eaque usos fuisse, si illa usque ad nos vix mensurabili discrimine mutata levissimeque corrupta pertransivit. Quod factum, hucusque pene inobservatum, gaudeo viris antiquitatum studiosis, architectis praesertim, subiicere, argumentum deducens, non inepte reor, ad probandum romanum pedem maximum in usum fuisse apud Langobardos et procul dubio in rebus aedificatoriis ceterarum omnium mensurarum multo amplius notum, itemque me a sensibili errore abesse dicentem pedem Liutprandi regis unum eumdemque esse cum vetere pede romano et de hoc ipso loqui leges nostras. Adiiciam, artifiees caementarios seu marmorarios illius aevi non Langobardos fuisse, sed Italos omnes, imo ab oris Larii lacus per Italiam effusos, nihil commune cum barbaris habuisse rerum architectonicarum plane ignaris: nostrae etiam aetatis operarios videmus veterum mensurarum tenacissimos et illarum praesertim quarum domi primam hauserunt notitiam. Constat etiam, vertente V saeculo, unum romanum pedem praevaluisse: sicuti vero ab illa aetate nulla hisce in rebus invecta fuit mutatio (excepta quadam inevitabili corruptione), liquet pedem illum VII et VIII saeculo usum procul dubio obtinuisse, praecipue apud Italos qui omnia ad aedificationem pertinentia ad illius pedis rationem ab antiquo aptaverant. Nova argumenta videbis etiam, lector, in adnot. ad harum legum §. CLVIII, CLXIV.

II. *Item de muro.*

CLVIII. *Si vero murum fecerit qui usque ad pedem unum sit grossum, duplicentur mercedes, et usque ad quinque pedes subquinetur.* Haud obscurum mihi videtur, modulum crassitudinis muralis esse pro semipedis mensura: nostris etiam temporibus modulus iste est pars aliquota alicuius probatae mensurae. Cum ita se res habeat, pro uno pede duplicatum stipendium artificum, quod eadem ratione, qua et muri crassitudo, augebatur: muri crassi ultra pedes v infrequentissimi tunc temporis, ideoque ad eos non respiciebat lex.

Et de ipso muro vadant per solidum unum pedes ducenti viginti quinque. Numerum CCXXV praetuli numero CCXV, et quod per extensum scriptum, ubi imminuta errandi facilitas, et quod multiplicatum exhibeat perfectiorem, uti in legibus desideratur cuiuscumque loci et temporis. Hosce quoque CCXXV pedes pro superficialibus habendos puto; iique, uti superius monui, per semipedem multiplicati praebent pedes cubicos CXII sem. Indeque pretia horum operum et infradictorum ad aequiorem rationem ducta.

Si vero macinam mutaverit. — *Macina* seu *machina* nomen est lignei aedificii artificum caementariorum, quod vulgo *ponte da muratore* appellamus. De hisce machinis, seu pegmatibus, perspicue Isidorus (Orig. XIX. 8). „Machiones dicti a machinis quibus insistunt „propter altitudinem parietum.“ Unde apud Gallos, murorum structores vocati *maçons*. Adsunt et glossae Cavenses, ubi legitur *macina id est pontonem.*

Det pedes centum octoginta in solidum unum, usque ad pedes quinque sursum. Scilicet quod v pedum alti-

tudo numeranda sit ab ima machinae tabulatione ad summum opus. Quibus verbis inest etiam novum argumentum ad demonstrandam veram Langobardici pedis longitudinem, eamque a vetere Romano minime abesse: caementariorum enim mos est operam ducere stantes in machina, sitque pes iste aequalis Romano pedi, habebimus altitudinem metr. 1,475, ultra quam perdifficile foret cuivis structori stanti in pegmate, brachia manusque sublevare, opusque conficere commode prospicientibus oculis: oportet enim ut humeri altitudo ab operis struendi proceritate non sit superata.

In longitudinem vero numerum ter quinos per tremisse. Obscurus plane locus, ad quem declarandum praemittenda est hypothesis longitudinem muri hic esse pro longitudine interiori seu crassitudine: data hypothesi, habemus rem ipsam superius a legislatore productam *duplicentur mercedes etc.*: voci itaque *terquinos* respondet superius vocabulum *subquinetur.* Forsitan etiam intelligendum est, ut caementariis in machina stantibus solvatur tremisses pro omni augmento crassitudinis muralis de tribus in tribus ex quinque partibus pedis. Haec autem pro divinatione habeantur.

Similiter et si murum dealbaverit, sexcenti pedes vadat per solidum unum. Hoc in loco, vox *dealbare* collectivum vocabulum est perfecti operis tectorii.

Et si cum axes clauserit et opera gallica fecerit, mille quingenti pedes in solido vestito vadant. Opera gallica, seu opus gallicum, nova sane vox et glossatoribus ignota, videtur mihi fuisse illa aetate denominatio tabulatorum sive parietum ex asseribus aedes sepientium vel cellas dividentium, illo enim tempore plurimae struebantur ligneae aedes, uti apud Gallos (et hodie quoque generatim extra Italiam) mos adhuc viget, qui

extructis in oppidis muris exterioribus ex lateribus vel saxis, intus dividunt per tabulata, in pagis vero et rure saepissime omnia lignea sunt. Nec carent codd. ferentes *et opera cum alliga fecerit*, ubi nulla vocum significatio. Gallico vero operi respondent opus romaniense, de quo inferius, opus saracenicum paulo post temporis vulgatum apud inferiores Italos, opus signinum iamdiu Romanis notum, necnon et alia quae nomen a gentibus vel oppidis acceperunt. Artificum vero stipendium alteri ex codicibus ferunt unius solidi pro pedibus D (de superficie semper habendum est), alteri idem obferunt pretium pro MD: hanc igitur lectionem, rationi magis consentaneam, accepimus, alteram reiicimus, quippe quae pretiorum proportioni haud aeque respondeat. Dubitavimus etiam, utrum intelligendum esset de opere formaceo (Gallis *pisé*, Italis fortasse *pigiato*, idem referente voce) de quo abunde Plinius (Hist. nat. XXXV. 48. 14. cf. etiam Palladium I. 34) iamdiu in Africa et Hispania vulgatissimum, quoque nostra etiam aetate magnopere utuntur Galli, Sardi et inter Subalpinos Italos praecipue Alexandrini rustici: hoc opus vero sollicitum sane, sed habita pretii ratione a nostra lege relati, plenum quidem laboris quodque non sine multis comparatis perficiendum est, vectibus scilicet et machinis et asseribus ad instruendas formas. Qua de causa mihi iudicium erit opus gallicum intelligendum esse non de formaceo, sed de tabulato ligneo. Conferantur etiam §. CLX et adnotationes nostrae, ubi evidenter liquebit, gallicum opus ligneum fuisse, sive ex asseribus vel magnis vel parvis constasse.

Et si arcum volserit, pedes duodecim vadat in solido uno. Incertum admodum est, geometrice loquendo, de quo pede agat lex: pedis cubici numquam mentio fit

apud Langobardos, pes vero quadratus ex se ipso ineptus est ad aestimandum pretium operis fornicati: postremum tamen praeferam, adiecta hypothesi arcuum per unius lateris crassitudinem semper structorum. Nam concameratae cellae Langobardis pene ignotae, fornicumque usus fenestris et ianuis cooperiendis tantum servatus, in quibus constantes mensurae pro domestico more, constans et ipsa arcus crassitudo; data hypothesi, evanescunt difficultates. Ingentis pretii causam habes, lector, in fornicum necessariis armamentis.

Notanda vox *volserit* radicem praeferens italici verbi *voltare un arco*, qui dicendi modus frequentissimus apud scriptores saeculi XIV et sequentium, itemque optimus et praeseferens motum, ut ita dicam, parietis se volventis sursum ut semetipsum adverso coniungat. Vocabulo tam necessario caruisse Romanos incredibile puto, tamen ad nos non pervenit, et de illo tacuit ipse Vitruvius, qui in Graecorum praeceptis studens et ipsa praecipua suorum opera persaepe ignoravit. Ovidius tamen (Met. III. 159) habet *ducere arcum* ......

Nam pumice vivo
Et levibus tophis nativum duxerat arcum.

Si vero materias capellaverit majores minores, capita viginti per tremisse. Materies a latino *materia*, quae vox est optimi aevi, quaque significat Ulpianus ligna ad struendum fulciendumque apta, unde hispana vox *madera.* Verbum *capellare* saepe hisce in legibus occurrit, servata semper significatione caedendi vel evellendi (cf. Margarini *Dict. Long.* 14), ab eoque deductum italicum *scapitozzare* vel *capitozzare*, utraque radicem habentia in latino *capitulare*: hoc vero in loco perspicue significat operam caedendi tigilla maiora et minora,

quorum viginti capita *(venti capi di legname,* uti et nos) solvantur altera pro alteris ad tremissem.

Armaturae vero et brachiolas quinque ponantur pro uno materio. Idiotismus ab optima voce *armamentum,* quae hisce in adiunctis idem refert: sic apud Plinium (XVII. 35) legimus *vinearum armamenta* pro palis quibus fulciuntur vites. *Brachiolum* hic est pro capreolo, vulgo *saettone* vel *razzo,* legiturque apud Ducangium adducto loco Rolandini Patavini. Intelligendum vero est, in quovis armamento unum transtrum *(materies)* aequiprare pretium reliquae materiationis.

III. *De annonam comacinorum.*

CLIX. *Tollat magistri annonam per tremisse uno segala modia tria, lardo libras decem, vino urna una, legumen sextaria quattuor, sale sextario uno, et in mercedes suas repotet.* Particula nulla explicatione egens.

IV. *De Opera.*

CLX. Titulus *De opera* referendus est ad omnem tecti materiationem, uti ex rebus inferius producendis liquebit: tanti enim negotii ne verbum quidem in legibus nostris, et uno hoc modo lux quaedam potest illucescere primae huius capituli particulae.

Similiter romanense si fecerit, sic repotet sicut gallica opera, mille quingentos pedes in solidos uno. Vocabulum *romanense* adiectivum est *tecti,* intelligendumque tectum romano more structum (scilicet ex tegulis planis et testaceis, pro nostratium antiqua et hodierna consue-

tudine) aestimandum esse ad idem pretium ac si gallico more seu ex ligneis asseribus (cf. adnot. ad § CLVII).

Et scias quia ubi una tegula ponitur, quindecim scindolas lebant; quia centum quinquaginta tegulas duo milia quingentas scindolas lebant. Gallicum opus vidimus superius idem esse ac ligneum opus seu tabulatum. Tabulatum vero tectis struendis aptum, constat ex asseribus exilibus *scindulae* vel *scandulae* dictis (accepta antiquitus a Germanis voce *schindel*), testibus Vitruvio (II. 1), Plinio (XVI. 10. 15), Palladio (I. 22) aliisque noñ paucis ex veteribus scriptoribus: una autem et altera vox habetur in legibus nostris, ubi Liutprandus scindulas appellat, quas Rotharis (§ CCLXXXII) scandulas. Pretium gallici operis (cf. adnot. ad § CLVIII) fuit ergo aequum sive ex parvis sive ex magnis asseribus ductum esset, habita ratione minoris impensae parvis asseribus (seu scindulis) comparandis auctaque opera in illis collocandis, tum maioris impensae, minutaeque operae pro asseribus maioribus.

Et si massa fundederit, sexenti pedes in solido uno. Antéponenda plurium codicum lectio *massa* pro *maxa*; alteri etiam codices habent *funderit*, alteri *fundederit* vel *int*, a verbo *fundere;* est enim hisce in legibus ratio illius structurae quae apud Graecos et Romanos τὸ emplecton nomen obtinuit, quaeque in cava terra caementitie fundebatur atque confertim, dum omnimodae aliae structurae fiebant ad normam et libellam. Optimi aevi scriptores vocem *massa* saepe sumunt pro acervo, frequenter etiam occurrit in libris inferioris aevi, et nos etiam vulgo dicimus *murare a sacco, murare a masso:* ad rem Plinius, praeclaro loco lib. XXXVI. 68, ubi de marmore numidico loquitur, quod adhibebant Romani „non in columnis tamen crustisve, sed in massa

ac vilissimo liminum usu" adde cap. 7. 39. lib. XXXI; necnon et inscriptionem N° 220 ap. Fabretti „...... tumulum infra monimentum, super sarcophaga earum massa aedificavit usque ad cumulum". Ad probandum autem legem istam ad fundamenta spectare, unum tantum animadvertam, nempe quum leges ipsae omnibus aedium partibus consuluerint, huic uni usque adeo neque postea respexissent. Aequm et pretium laudo, perspecta facilitate huiuscemodi structurae.

V. *De caminata.*

CLXI. *Si magistros caminatam fecerit, tollat per una tremisse uno.* — *Caminata* idem quod caminus; de utraque re abunde disserui in adnotationibus ad Fr. Georgii Martini Architecturam lib. II. 3, ubi caminatarum historiam habui ab ipso IX saeculo incipiente, nixus auctoritate Anastasii bibliothecarii necnon et codicis diplomatici S. Ambrosii; antiquissimus ergo earum usus novissimo argumento probatur caeterisque praestantius eo quod antiquius, nullus enim VIII saeculi scriptor, nullum documentum de caminatis mentionem habent. Cf. etiam adnotationes ad § CLVII.

Et si abietarii cancellas fecerit, per solidos uno vadat pedes duodecim. Alteri codices *habitarii* habent, ubi fortasse legendum *habituri:* praferenda tamen optima amborum codd. Guelpherbytanorum lectio *abietarii.* Quid *cancellae* sint, omnibus notum, quippe quae unum idemque cum Romanorum cancellis, quorum mentio apud veteres auctores frequentissima, quaeque si metallica clathrorum nomen sumebant, si marmorea plutei praesertim appellata, si vero lignea veteres maluerunt appellare cancella (Varro R. Rust. III. 5): en ergo ar-

gumentum quo ductus vocem *abietarii* praetuli, patet enim temporum infelicitati atque inopiae optime respondere cancella abiegnea: en etiam huiusce vocabuli novum testimonium hucusque uno tantum Pauli loco comprobati. Consuetudo ista non defuit apud nos, videmus enim in pedemontana provincia, praesertim in pagis ad alpium radices, rusticas aedes fenestras habentes abiegneis cancellis, cratis instar, instructas, regulis ita dispositis ut earum compactiones quincuncem referant. Cancellorum vel pluteorum fragmenta plurima Romae adhuc visuntur, constantque maxima ex parte, transversis regulis marmoreis, nec alia desunt per circuli partes ducta, addito ornamentorum lenocinio; de illis disseruerunt et schemata exhibuerunt Winkelmann, Piranesi, Uggeri, Canina aliique romanarum antiquitatum expositores: si de antiquis cancellis agatur, hodierni architecti sub plutei vocabulo ea denotant. Lignea cancella marmoreorum speciem et distributionem necessario praeferunt, utpote quae a ligno ad marmor sunt conversa, immutata specie.

Si vero peuma fecerit, quantos pedes habent tantas siliquas lebant. Peuma mihi idem est quod pegma (a graeco πῆγμα) lignea machina multis declarata veterum scriptorum locis apud Forcellinium et Ducangium: generico gaudet sensu vox ista, sicuti apud Italos respondentia vocabula *palco*, *impalcatura*, sive tabulatio, quaeque et structorum machinas significant, et ligneum podium quodlibet, et aedium contignationes tabulatas, vulgo solaria. De solario vero mentio quidem habita § CLVII, animadvertendum tamen vocem istam inferiori aetate duplicem habuisse significationem, quarum altera indicabantur aedium superiores contignationes (*i piani*, quarum una tantum, solito more, erat), altera vero

ipsum contignationis opus, unde Italis *solaio:* de qua postrema significatione nihil adhuc referebant leges nostrae. Glossae Cavenses (v. Append. VIII) habent *pleuma id est palu de lugo*, quae verba operi tignario perspicue respondent, ideoque contignationibus ipsis.

Et si carolas fecerit cum gisso, det per tremisse carolas quattuor: annonas ei non repotetur. Carola et ipsa septorum sive cancellorum altera species est, de qua vide Ducangium et Carpentier. Ad mentem legis fiebant ergo carolae distinctis frustis (*det per tremissem carolas quatuor*), quae postea exactis partibus uno opere iungebantur, uti et nunc. Vidi ego in basilica S. Petri Albae Fucensis in Aequis carolas ab Oderisio Abate exstructas ad aram maximam (ann. 1087—1115. de viris ill. Cassinensibus) pluribus aequisque frustis constantia ex saxo calcare gypso olim inducta. Credendum est artifices nostros etiam carolas finxisse ex argilla, easque gypso induxisse, opus enim testaceum nunquam in superiori Italia defuit.

VI. *De Marmorarios.*

CLXIV. *Si quis axes marmoreas fecerit, det per solidos uno pedes XXV.* Axes, sive asseres, marmorei (*tavole, lastroni di marmo*) respondent veterum crustis: pretium unius solidi habeatur pro pedibus quadratis xxv, huic enim operi pro nihilo est crassitudo qualiscumque sit, superficiei enim explanandae et expoliendae tantum confert artifex. Habita reliquorum operum ratione reieci lectionem *XV pedum*, decemque alios pedes adieci ad optimorum codicum fidem.

Et si columnas fecerit de pedes quaternos aut quinos, det per tremisse columnas tres: annonas ei non repotetur.

In primis monendum est illa aetate columnas fieri tenuissimas, parvaeque altitudinis: omnia porticibus columnatis circumdata sunt cavaedia in coenobiis monachorum S. Benedicti ab ipso IX et VIII saeculo, quorum multa visenda adhuc extant Romae, Panormi, Arelate, Sublaquei alibique, ubi columellae sunt quae saepius metri gallici altitudinem non attingunt, imo fere semper depressiores sunt, diametro inter sextam et nonam altitudinis partem; raro vero dictam mensuram excedunt, uti Arelate. Ex quibus mensuris, novum adest argumentum ad probandum romano pede usos tunc fuisse quadratarios et lapicidas, quia columnae quaternorum vel quinorum pedum respondent metr. gallicis 1,170 vel 1,475, quae altitudo inter maximas, pro aetatis consuetudine, erat, et ab omni alia mensura in maiorem etiam longitudinem duceremur. Habita pretii ratione, pro more praefero codicum lectionem, annonam artifici reputandam non esse.

VII. *De furnum.*

CLXII. *Si vero furnum in pensile cum caccabos fecerit, etc.* Alii codices *pensele* habent, alii *pisile*, alii *impensile:* est autem *pisile* arca vestiaria (Ducange in *pisalis*), quae vox cito et ex ipsa rei natura significavit cellam ipsam ubi arca sita, quae apud Langobardos nec ampla nec sumptuosa esse poterat. Furnus vero in cella vestiaria collocandus erit? anne praeferenda lectio *pensele* vel *impensile,* quae furnum pensilem praebebit, hoc est a solo elatum? Haec mihi magis arrident, putoque furnum impositum fuisse structurae caementitiae ternis aut quaternis postibus lapideis roboratae, ita ut furni area strata a cellae pavimento III vel IV pedibus supereminere.

Et postes tres aut quattuor habuerit. Postes vero proprie sunt saxa satis longa et ad perpendiculum exacta, ex quibus fiunt ostiorum antepagmenta. Postes in furno, vel (ut superius dixi) collocandi sunt instar podii vel stereobatis, vel per circuitionem disponendi ita ut ab illis utraque ostioli latera necnon et posterior structura firmentur: ita conceptum schema exhibui.

Et cum pineam suam levaverit caccabos etc. Pinea fastigium est; Galli *pignon* vocant tectorum culmen; sic Latini *pinnaculum*, nostrates *pinnacolo* culmen cuiusvis aedificii, habita radice a notissima celtica voce *penn* seu *pinn*.


...... *caccabos ducenti quinquaginta, ita ut pinea ipsa habeat caccabos viginti quinque, exinde tollat tremisse uno; et si quingentos caccabos habuerit, habeat duos tremisses; et si mille fuerint caccabi, tollat exinde mercedes tremisses quattuor.* Cacabus, vel caccabus (a graeco κακκάβη, sumptis radicibus ab *uri* vel *coqui* et *cibis*) proprie fuit vas culinare: una tantum voce adhibita, habetur pro vase fictili, si ex alia materia fuerit, tunc sequi debet adiectivum *aeneus* etc.

De vasorum usu in aedificiis disputaverunt architecti postremi nostrique aevi, disseram et ego arrepta occasione, multaque emendabo. Fornices vasis referti plurimi adsunt, qui labente romana re constructi fuerunt: in illis idcirco praesertim notata fuerunt, uti ad Romuli circum a Maxentio excitatum, et ad Ianum quadrifrontem: Romae pariter visenda ad rotundam S. Stephani, itemque Ravennae ad sancti Vitalis, quae sacrae aedes V et VI saeculo erectae sunt; in hisce vero sunt tubuli cylindrici vel amphorulae, ad circum sunt ollae et cadi, ad Ianum caccabi. Duplex tamen architectorum error, quorum alter in eo est quod af-

firmaverint Romanos non nisi post Caracallam vasa adhibuisse (fallacissima sententia innixi circum praedictum huius Augusti opus esse, cum posteriores investigationes, detecta inscriptione, verum restituerint auctorem), ego vero vasa vidi, imo amphoras ansatas, in aedeficii cuiusdam substructionibus ex emplecton, quas me ipso intuente, Augustae Praetoriae in lucem prodierunt anno MDCCCXXXIX, cuius oppidi nullum saxum habetur quod Octaviani Augusti aetatem non referat, ipse enim unus coloniam duxit, templa, aedes, muros dedit, nullaque structura est, nulla inscriptio quae posteriores Caesares memoret vel ipsis referatur. En ergo vasorum usus a Romanis acceptus Augusto imperante. Nunc de eorum officio dicam, ubi alius vulgatus error; nostri enim scriptores habent, nonnisi in tholis et fornicibus vasa adhibita fuisse: adferam ego memoratas amphoras Augustae Praetoriae extantes in substructionibus, adferam quae visuntur (quamquam eruditis ignota) Romae ad portam Tiburtinam, itemque prope Nymphaeum, uti vocant, Egeriae, ubi parietes prostant amphoris ollisque refertae.

Veteres itaque, optimique aevi architecti vasa in opere fornicato aeque et in muris adhibuerunt, tunc inditum nomen lex nostra omnium prima aperit, caccabum scilicet: nominis autem causa in eo est quod structores VIII saeculi parvis vasis, scilicet caccabis, usi essent, deficientibus maioribus: quam vocem inferiore illo aevo habitam fuisse, probat et vetus romana basilica S. Mariae in Caccabariis dictae a turba caccabariorum artificum iuxta illam morantibus, probat et vocabulum *caccabatus* seu denigratus fuligine, quod in S. Paulini Nolani epist. 32 legitur, probant scriptores ibi allati ad notam 148, necnon apud Ducangium.


Vasorum vero, seu caccaborum magnitudo varia, uti schema refert, ideoque lex distinguit ubi plura vel pauca adhibenda sint.



Specimen vasorum fictilium quae in veterum structuris adhuc spectantur.
Exacta mensura ad vicesimam rei ipsius.


1. *Caccabus.* ***Romae ad Ianum quadrifrontem.***
2. *Tubulus.* ***Romae ad rotundam S Stephani.***
3. *Amphorula ansata.* ***Ravennae ad rotundam S. Vitalis.***
4. *Amphora sine ansis.*
5. *Ollae.* } ***Romae ad circum Maxentii.***
6. *Cadus.*

xxv caccaborum dispositio in tholo furni, egregie habetur, probante schemate, quod duplex adieci.



Dispositio XXV caccaborum in pinea furni.

Ubi vero de D et de M etiam caccabis loquitur lex, intelligendum est de parvis vasis, fortasse etiam de furno bene ingenti. Utrisque dispositionibus demonstrandis exemplaria praebui.





Furni (CCL, vel M usque caccabis referti, cum postibus IV) ichnographia et orthographia interior.

Hac autem structura eo veniebant artifices, ut parvo pondere paucaque adhibita materia muri efficerentur conspicuae crassitudinis, quod in opere praesertim arcuato maxime desiderandum. Aderat et ipsorum vasorum tenue pretium; inferiore enim aevo, illis tantum plerumque utebantur artifices, quae rebus domesticis inepta viderentur, vel corrupta specie, vel male habita coctione; illis scilicet quae deformia et fragilia haberentur. Quocumque autem modo res sit, maximam lucem affert lex ista veterum structuris clarius intelligendis.

VIII. *De puteum.*

CLXVIII. *Si quis puteum fecerit ad pedes centum, tollat exinde solidos XX; annonas ei non repotetur. Puteus autem de pedes XXXV, solidos quattuor; puteus vero de pedes viginti sex, solidos tres; puteus autem de pedes duodecim,*

solidum unum: annonas ei non repotetur. Particula ista nulla eget explicatione. Pedes 100, 35, 26, 12 profundidatis puteorum, quaerunt respondentia itemque decrescentia pretia. Unum notandum, allatas mensuras (minimis sublatis differentiis) rationem habere inter se :: $1:\frac{1}{3}:\frac{1}{4}:\frac{1}{8}$, ita ut modulus altitudinis puteorum habendus sit pedum circiter $12\frac{1}{2}$, qui, si romano pedi aequales, vertuntur in metr. 3,717. Qui vero, illa aetate, mos fuerit, hauriendi aquam (tollenone scilicet furcae imposito) habes in Liutprandi lege VII addita §. CXXXVI. De puteis in centenos usque pedes actis loquitur Plinius (XVII. 4): animadvertendum item est illorum latitudinem non ad VIII pedes aestimandam esse (Pallad. IX. 9), sed tantum ad III vel III et sem., uti Hypponii detecti fuerunt paucis ab hinc annis.

NOTAE CRITICAE ET VARIAE LECTIONES.

MEMORATORIUM

DE MERCEDIBUS COMACINORUM.

Memoratorium hoc ineditum, sive haec capitula de magistris Comacinis, primus jam ab anno MDCCXXIII memoravit Petrus Giannone, *Storia civile del Regno di Napoli, Lib. V, Praefaz.*, § *I*; qui et eorum indicem exhibet e codice Cavensi. Eumdem indicem ex eodem codice, anno hujus saeculi vicesimo quarto, denuo edidit Pertzius in *Archiv der Gesellschaft*, *Bd. V*, *S. 252.* Ipsas leges seu Memoratorium primi edimus, e codicibus Legum Langobardicarum qui illud exhibent omnibus, scilicet Cavensi, Matritensi, Eporediensi, Parisiensi 4613, et Guelpherbytano, qui haec capitula bis habet, semel post Edictum Grimowaldi (Guelph 1), iterum post Edictum Liutprandi (Guelph.2); in reliquis codicibus horum capitulorum nullum vestigium est. Si codicem Guelpherbytanum, cujus alter textus ab altero valde differt, pro binis habeamus, sex erunt codices qui hoc Memoratorium praeferunt, in tres familias dividendi. Primam constituunt Cav. et Ma., qui Memoratorium Liutprando tribuunt, et integrum exhibent eodemque ordine quo nos habemus, nisi quatenus in Cav., vel incuria ama-

nuensis vel ob archetypi lacunam, deest cap. VI *De marmorariis.* Secundam familiam bini item codicos constituunt, Par 4613 et Guelph. 2, qui extremo quidem Liutprandi Edicto adnectunt, sed omissis capitulis VII et VIII, seu *De furno et de puteo.* Ad tertiam denique familiam bini reliqui codices pertinent, Epor. et Guelph. 1, qui Memoratorium integrum quidem exhibent, sed inter Edictum Grimowaldi et Edictum Liutprandi, et Grimowaldum ejus auctorem praeferunt. — Etiam lectionis varietate et lacunis codices secundae familiae a codicibus tertiae familiae distinguuntur: utraque enim lectiones habet ita sibi proprias, ut uniuscujusque familiae codices ab uno exemplari vel descripti vel certe derivati dicendi sint; ita tamen ut Guelph. utroque loco in ortographicis a pristina seu Langobardica scriptura magis recedat. Contra Cav. et Ma. ex vario fonte derivati sunt, nec inter se nec ceteris similes, ita tamen ut codicis Ma. scriptura aliquando accedat ad codices secundae et tertiae familiae, multas tamen lectiones proprias habeat, nonnumquam optimas; solus etiam ex omnibus in cap. *De furno* verissimam lectionem *postes* suppeditavit. — Nec in capitulorum modo numero, ut supra notavimus, sed in eorum etiam divisione eadem familiarum discrimina apparent. Nam Cav. et Ma. hac etiam in re ab invicem dissentiunt: Cav. enim solus e codd., qui hoc Memoratorium Liutprando tribuunt, pro more fidus et diligens, atque ex optimo libro descriptus, illud secernit ab ipso Edicti contextu, his praemissis, rubro colore: *Explicit leges quas*

V. Cl. Johanne Merkel Nurembergensi repetitus, in opere cui titulus *Archivio Storico di Firenze, Apendice, vol. III, pag. 707, seq.* Ex eadem Appendice XI has leges denuo edidit V. Cl. Alfredus Reumont in Ephemeridibus Tubingensibus quibus titulus *Kunstblatt, 1847, N°. 30. S. 117—119.*

I (CLVII).

Rubricam hanc *De sala* recepimus e Guelph. 1, qui eam exhibet in capitulorum indice quem is codex textui praeponit; codd. rell. solam habent ipsam Memoratorii inscriptionem, de qua vide quae supra notavimus. Ceterum in Guelph. 1 deest capituli numerus.

Si) Ita Epor., Guelph. 1; rell. *id est si.*

sala) Guelph. uterque *salam;* Ma. *salas.*

fecerit, repotet) Ma., Guelph. 2 *fecerint, reputent;* rell. *fecerit reputet.*

solido uno) Pro *solido* Par. 4613 *solidos.* Pro *uno* Par. 4613, Guelph. uterque .ι.

numero) Par. 4613 *numerum.*

sexcenti) Ma. *sexcentos;* Guelph. 2 *sexcentas.*

si in) Epor. Guelph. 1 *In,* omisso *si.*

solario) Par. 4613 *solarios.*

quadringenti) Ita Cav.; similiter *cccc* Par. 4613: sed *trecentas* Guelph. 2, et *ccc* rell.; sed is numerus non respondet pretio unius item solidi pro sexcentis tegulis *salae* seu domus humilioris, cujus nulla sit contignatio.

in) Ma., Par. 4613, Guelph. 2 *per,*

Et si) Par. 4613, Guelph. 2 omittunt *et.*
fecerit) Par. 4613, Guelph. 2 *fecerint.*
de pedes quaternos aut quinos) Ita Par. 4613, nisi quod scriptum *quater nos aut qui nos*; simititer Guelph. 2 *de pedibus quaternis aut quinis;* Ma. *det pedes quaternos quinos*; Epor. et Guelph. 1 *det pedes quinos quaternos.* Tum. Ma., Epor., Guelph. 1 omittunt *det*; pro quo Guelph. 2 *dent.*
tres) Ita plenis litteris Ma., Epor., Guelph. 1; *.ııı.* Guelph. 2; *quatuor* solus Par. 4613. Huc aptanda quae nuper diximus de altera ejusdem codicis lectione *XXV.* pro *XV.*
annonas) Guelph. 2 *anonas*; Par. 4613 *annona*; Guelph 1 *anona.*
ei non) *vero non* Guelph. 2; deest in Par. 4613; Guelph. 1 omittit *ei.*
repotetur) Ma., Guelph. 1 *reputetur*; Par. 4613 et Epor. *repotet*; Guelph. 2 *reputent.*

VII (CLXIII.) Deest hoc caput cum sequente in codicibus secundae familiae, seu Par. 4613 et Guelph. 2; in codd. tertiae familiae, omni numero et rubrica omissa, adnectitur capiti *De marmorariis*, quamvis hujus argumentum nihil cum illo habeat commune.
Si vero) Ma. *Si quis vero.*
furno) Ita Epor.; *furnum* Guelph. 1 et Cav.; *furtum* Ma.
in pisile) Ita Cav. et Ma.; *in pensele* Epor.; *impensile* Guelph. 1 Cf. Roth. cap. CCXXI. Vide etiam *Glossarium mediae et infimae Latinitatis conditum a* Carolo Dufresne Domino DUCANGE, *cum supplementis integris monachorum S. Benedicti*, D. P. Carpentierii, *Adelungi*, *aliorum suisque digessit* G. A. L. HENSCHEL; *Parisiis, 1845, T. V., pag. 266,* ad vocem *Pisalis.*
caccabos) Epor. *caccabo;* Guelph. 1 *cacabis.*
postes) Ita optime Ma.; *poos* Epor.; *post* Cav. et Guelph. 1.
et cum — viginti quinque) Epor. *cum pinea sua levaverit caccabos .xxv.*, omissis vocibus *et* nec non *ducenti — caccabos.* Pro *pineam suam* Guelph. 1 *pinea sua.* Pro *caccabos* Guelph. 1 utrobique *cacauos.* Pro *pinea ipsa habeat* Ma. *pineam ipsam habeant.*
exinde tollat) Cav. et Ma. *et inde tollant.*
tremisse uno) Ita Epor. *tremisse unum* Guelph. 1, *tremissem unum* Cav. et Ma.
quingentos) Cav. et Ma., *quingenti.* Tum Guelph. 1 *cacauos.*

habuerit, habeat) Cav. *habuerint, habeant.*
remisses) Ma. *tremisse;* Cav. *tremissum.*
mille) Cav. *milles.*
caccabi, tollat) Cav. et Ma. *caccabos tollant;* in Guelph. 1 est *cacaui tollat|lat.*
tremisses) Ma. *tremisse;* Cav. *tres missi.*

VIII (CLXIV). In Epor et Guelph. 1 item cap. *VIII;* deest in Par. 4613 et Guelph. 2: cf. supra notata ad cap. VII. Rubricam dedimus ex Cav.; in Epor. hoc loco, tum in Guelph. 1 in indice, est *De puteo;* omittitur in Ma. — Integrum caput solus habet Cav.; in Ma. enim desunt priora quindecim verba *Si quis — repotetur;* et mox *puteus — solidos tres;* in Epor et Guelph. 1 desunt verba *solidos quattuor — viginti sex.*
Si quis puteum) Guelph. 1 *Si vero puteum;* Epor. *Si vero puteo.*
annonas) Guelph. 1 *anona.*
non repotetur) Epor. omittit *non.* Ceterum hoc loco codd. *reputetur.*
de pedes XXXV) de pedes xxv Ma.; *de pedes xxx* Epor.; *de pedibus xxx* Guelph. 1. Lectionem secuti sumus codicis Cav., magis respondentem proportioni inter profunditatem putei et operae pretium; praesertim cum is unus codex legem integram exhibeat et ex ejus scriptura *XXXV* reliquorum codicum scripturae facile derivari potuerint; nec nisi pro uno codice sit auctoritas codicum Epor. et Guelph. 1, qui ex eodem exemplari derivati sunt.
autem) Deest in Epor. et Guelph. 1.
de pedes) Guelph. 1 *de pedibus.*
annonas) Cav. *annona;* Guelph. 1 *anona.*
repotetur) Epor. *reputantur;* rell. *reputetur.*
Explicit rege) Ita Par. 4613, omissa tamen voce *rege; Expliciunt leges domni Liutprandi regis* Guelph. 1; Cav. formulam repetit quam supra exhibet ad finem Edicti *Explicit — instituit;* Ma. nihil habet, itemque Epor., in quo scilicet sequitur prologus Liutprandi regis; in Guelph. 1 *Finit de Grimoaldo rege Incipit prologus de domno Liutprando rege;* in Epor. et Guelph. 1. sequitur Edictum Liutprandi regis; in rell. Edictum Rachis regis.

solidum unum) Epor., Guelph. 1 *sol' .ι.*; deest in Guelph. 2; in Par. 4613 supra monuimus universam hanc ῥῆσιν deesse.

sursum—tremisse) Desunt haec in Par. 4613, Guelph. 2. Post *vero* Ma. addit *numerum*, idque olim receperam, quo forte ea vox prodesset ad difficilem atque ut videtur corruptum locum sanandum. Ceterum pro *tremisse* Cav. *tremissem;* Ma. *temisse.* De loci significatione vide conjecturas V. Cl. Promis, col. 245, vers. 22—32. Mihi aliam conjecturam liceat proponere, verba usque *ad pedes—per tremisse* supra esse transferenda, post *ducenti viginti quinque*, aut saltem ad eum locum referenda, ita ut verba *si vero—solidum unum* habenda sint tamquam parenthesi inclusa et a principali contextu aliena, hoc modo: *de ipso muro vadat per solidum unum pedes ducenti viginti quinque usque ad pedes quinque sursum, in longitudinem vero ter quinos per tremisse: si vero macinam mutaverit, det pedes centum octoginta in solidum unum.* Nam si in longitudinem sint pedes quindecim (ter quini) per tremissem, erunt pedes quinque et quadraginta per solidum, qui per altitudinem pedum quinque sursum multiplicati efficiunt pedes ducentos viginti quinque ($15 \times 3 \times 5 = 225$); in solario autem seu in machina, ob majorem laborem, impensas et pericula, dandi erant pedes tantummodo centum octoginta, seu, posita eadem *longitudine* seu basi pedum quadraginta quinque, pro unius solidi pretio murus evehendus non fuit nisi ad altitudinem pedum quattuor. Suspicari praeterea licet verba haec, quae desunt in codd. secundae familiae, adjecta demum fuisse a Liutprando, cum aequius muro

conficiendo pretium statueret, atque rem omnem clarius definire proposuisset: quo etiam facilius effectum est, ut haec verba, postmodum adjecta, extra sedem legantur.

Similiter et si) Ita Par. 4613; *Similiter si* Guelph. 2; *Si quis* rell. In Epor. et Guelph. 1 hinc incipit novum capitulum *III*, cui nulla in Epor. praeponitur rubrica; in Guelph. 1 rubrica est supra in indice *De muro albato*. Sed de opere tectorio vix prima loci verba agunt; ut rectius universa, uti in Cav., referantur ad superiorem rubricam *De muro*.

murum) Par. 4613 *muro*.

dealbaverit) Par. 4613 *dealcaverit*; Guelph. 2. *dealbaverint*.

sexcenti pedes vadat) Cav. et Ma. *sexeenti pedes vadant*; Guelph. 1 *dc. pedes vadant*; Epor. *dc. pedes vadat*; Par. 4613 *vadat sexcenti pedes*; Guelph. 2 *vadant sexcentos pedes*.

per solidum unum) Par. 4613 *in solidos* .ı.; Epor., Guelph. 1 *per sol'*, et omittunt *unum*.

si cum) Male Epor. et Par. 4613 *sicut*.

axes) Par. 4613 *tabulas*, utrumque recte: sed et in cap. VI simili sensu occurrit vox *axes*. In Guelph. utroque est *axibus*.

gallica) Ita hoc loco solus Guelph. 2; *cum gallica* Cav.; *collila* Par. 4613; *comalica* Guelph. 1; *commalica* Epor.; *cum alliga* Ma. Operum gallicorum eadem summa, mille quingentorum pedum pro solido uno, iterum infra occurit cap. IV.

fecerit) Pro hac voce Epor., Guelph. 1 *similiter*.

mille) Deest in Cav., perperam, ut probat tum reliquorum codicum consensus, tum praecipue similis locus infra cap. IV.

in solido vestito) Cav. et Ma. *in solidum vestitum;* Par. 4613 *in solidos vestito.*

volserit) Cav., Guelph. 2 *volserint;* Par. 4613, Guelph. 1 *volverit*, nec male.

vadat) Ita Epor. et Par. 4613; rell. *vadant.*

in) Par. 4613. Guelph. 2 *per.*

solido uno) Par. 4613 *solidos .ı.;* Guelph. 1 *sol' .ı.;* Cav, et Ma. *solidum unum;* Guelph. 2 omittit *uno.*

Si vero) Hinc Epor., Guelph. 1 auspicantur cap. IV, cujus in indice Guelph. 1 rubrica est *De maceria*, manifesto errore pro *De materia.* Ceterum Par. 4613, Guelph. 2 omittunt *vero.*

materias) Guelph. 1 *maceria*, male, tam hic quam in rubrica, qui proprius est hujus codicis error; nam ejusdem familiae codex Epor. recte *materias.* Vide Commentarium Caroli Promis, col. 246, vers. 38 — 42.

capelaverit) Ita Guelph. 1, quam scribendi rationem (per unum *p* et unum *l*) passim confirmat cod. Verc.; similiter *capelaverint* Guelph. 2; *capellaverit* habet Epor.; *cappellaverit* Ma., Par. 4613; *cappellaverint* Cav.

majores minores) Solus Guelph. 1 *majores aut minores.*

viginti) Post hanc vocem Cav. addit *vadat*, quod olim receperam, nunc, ob reliquorum quinque codicum consensum, pro glossa habeo; subaudienda scilicet quae mox occurrit vox *ponantur.*

armaturas vero et brachiolas) Ita Guelph. 2; *armatura vero et braalas* Par. 4613; *armatura vero et brachiola* Ma.; *cum armatura vero et brachiolo* Cav. In Epor. locus ita se habet *per tremisse cum armaturas, et brachiolas quinque ponantur;* similiter in Guelph. 1,

per tremisse cum armaturis et brachiolis, quinque ponantur: uterque autem omittit *pro uno materio.*

ponantur) Ma , Par 4613 *ponatur.*

pro uno materio) Ma. *pro una materiae;* deest, ut nuper monuimus, in Epor. et Guelph. 1.

III (CLIX).

In Epor., Guelph. 1 cap. *V.* Rubricam omittunt Par. 4613, Guelph. 2; Ma. habet textui conjunctam; in Guelph, 1 adest ea tam supra in indice quam hoc loco. Ceterum Guelph. 1 *anona;* Ma. *annonas.* In Cav. deest *Comacinorum.* In Epor. a prima manu est *commacinorum*, a secunda *commacenorum.*

Tollat) Ita codd. qui vetustiori orthographiae adhaerent, Epor., Par. 4613, Guelph. 2; rell. *tollant.* Ante hanc vocem Par. 4613, Guelph. 2 addunt *Item.*

annonam) Guelph. uterque *anonam.*

uno) Ita Epor.; *unum* Cav., Guelph. 1; .ɪ. Ma.; deest in Par. 4613, Guelph. 2.

segale) Ita Epor.; *segala* etiamnum Itali; *secla* Par. 4613; *secale* rell., uti Plinius *Hist. Natur. XVIII, xvi, 40,* apud quem unum e veteribus pauca quaedam, partim etiam prorsus falsa, de hac fruge leguntur.

modia) Ma. *modios;* Guelph. uterque *mod'.*

tria) Cav. *tres;* Ma., Epor., Guelph. uterque *.ııı.*

lardo) Cav. *lardu.*

decem) Epor., Par. 4613, Guelph uterque *.x.*

urna una) Ita Ma., Epor.; *urna .ɪ.* Guelph. uterque *orna una* Par. 4613; *ornam unam* Cav.

sextaria) In Epor. per *s.* scribitur *sestaria*, et mox *sestario*.

sale) Epor., Guelph. uterque *sal.*

sextario) Cav., Guelph. 1 *sextarium.*

uno) Cav. *unum;* Guelph. 1 .I.

in mercedes suas) Cav. et Ma. *in mercede sua;* Guelph. 2 omittit *in.*

repotet) Ita Epor.; *reputet* Cav. et Par. 4613; *reputent* rell.

IV. (CLX.)

Hoc caput Epor. et Guelph. 1, rubrica omissa, superiori conjungunt, quamvis nihil commune habeant cum annona Comacinorum. Rubricam habet Cav.

romanense si fecerit) Desunt haec in Par. 4613; Guelph. 2 habet *et romanense*, et omittit *si fecerit.* Pro *romanense* Cav. *romanenses.* Pro *fecerit* Guelph. 1 *fecerint.*

repotet) Ita Epor; *reputet* Cav., Ma., Par. 4613; *reputent* Guelph. uterque.

sicut gallica opora). Ita Cav., Epor., Guelph. uterque; *si calliga opera* Par. 4613; *sicut alliga opera* Ma. Quattuor optimorum codicum consensus jam per se suadet legendum esse *gallica*, idque certius probat oppositio operis *romanensis.* Quodnam autem operis genus hoc nomine intelligendum sit, docte disputat V. Cl. Carolus Promis in Commentario ad hunc locum (vide supra, col. 254, vers. 36—246, vers. 11, et 247, vers. 14 seqq.), in cujus sententiam prorsus discedo. In cap. I ipsarum tegularum pretium definitur et magnitudo; hoc capite pre-

tium statuitur operae tecti conficiendi, sive tegulis domus sive scindulis sit tecta. Ideo autem utriusque operis idem pretium constituitur, quia scindulae difficilius quidem et majore opera disponuntur, at tecti tegulis obtecti longe fortiora transtra trabesque esse debent. Hoc autem loco agi de eodem operis genere, de quo sermo est supra cap. II, atque ideo utrobique eamdem lectionem esse recipiendam, apparet tum e simili lectionis varietate, tum ex ipsa collatione pretii operis romanensis cum eo quod supra statutum fuerat pro opere gallico, scilicet mille quingentorum pedum pro uno solido.

quingentos) Cav., Ma., Par. 4613 *quingenti.*

in) Guelph. 2 *per.*

solidos uno) Ma. et Par. 4613 *solidos* .I.; Epor. *sol' uno;* Cav. *sol' unum*; Guelph. uterque *sol'* .I.

Et scias) Ita Cav., Epor., Guelph. uterque; *In tertia* Par. 4613; deest in Ma.

quia) Deest in Cav., Par. 4613.

ubi una tegula) Ita Cav., Epor., Guelph. uterque; *ubi una arcula* Ma.; *sub uno arculo* Par. 4613. Unde lectio *arcula* orta sit, haud facile divinaverim; nisi fuit arcula tegulae genus, scilicet testacea quidem tegula, sed non quadrata, ut olim apud Romanos moris fuit, verum curvata in formam arcus, cujusmodi nunc apud nostrates in usu sunt.

quindecim) Ita Guelph. 1, plenis litteris; *viginti et quinque* Cav. *xxv.* Ma., Epor., Par. 4613, *xxx.* Guelph. 2. Lectio quam recepi magis convenit cum tegularum amplitudine, quarum singulae (cf. supra §. 1, et Commentarium Caroli Promis, col. 242, vers. 21—26) superficiem tegunt unius pedis cum

triente, ut potuerit eadem superficies tegi scindulis quindecim; vix autem tam parvae scindulae esse potuere, ut earum triginta aut etiam viginti quinque unius tegulae superficiem aequarent. Satis etiam nostra lectio accedit ad rationem eorum quae mox leguntur, *quia centum quinquaginta tegulas duo milia quingentas scindolas lebant;* nam $15 \times 150 = 2250$: ut si accuratam rationem quis requirat, pro *quingentas* legisse sufficiat, *cc. quinquaginta* seu *quinquagenta*, uti saepe vocem in hoc Edicto prolatam legimus. Si pro *quindecim* legas e Guelph. 2 *XXX*, ad unguem utraque ratio prodiret, mutata modo voce *DUO milia* in *QUATTUOR milia*; nam $30 \times 150 = 4500$; sed obstant ea, quae de magnitudine scindularum nuper monuimus.

scindolas) Ita Epor. et Guelph. 2 mox, Par. 4613 utroque loco, *sindolas* hoc loco Guelph. uterque, posito *o* pro *u*, ex Italica prioris litterae pronunciatione, pro *scindulas*, quod habent Cav. utrobique, Epor. hoc loco. Male autem Ma. *scandulas*, quamvis eamdem lectionem tueantur codd. in Roth. cap. CCLXXXII; sunt enim a *scindendo* dictae, quod e scisso ligno fierent. Superest vox eadem significatione in Germanica lingua *Schindeln*. Similis error plerosque veterum auctorum locos obsidet tam in nonnullis codicibus quam in editionibus. Confundendae autem non sunt cum *scandulis*, de quibus Columella, *De re rustica, Lib. V., cap. II.*

lebant) Ita Cav.; *lebat* Epor.; *lebent* Par. 4613; *levant* Guelph. 2; *levat* Ma., Guelph. 1.

quia centum —. scindolas lebant) Pro *quingentas* Epor. *quingentis;* pro *lebant* Guelph. 2 *levant.* In Cav. locus ita se habet *quia tegulas mille quingenta et*

sex milia quingenta scindulas lebant; quae non modo cum superioribus componere sed et intelligere arduum: cf. quae nuper notavimus ad vocem *quindecim*. In Ma., Epor., Guelph. 1 integra ῥῆσις ob recurrentes voces *scindolas lebant* errore amanuensis omissa est.

massa) Cav. *maxas;* Guelph. 1. *massam.*

fundederit) Ita optime Epor.; *fundiderit* Guelph. 1; *fundiderint* Guelph. 2; *funderit* rell.

sexcenti) *centum* Guelph. 2; deest in Par. 4613.

solido uno) Epor. *sol' uno*; Ma., Guelph. 1 *sol' .ı.*; Cav. *solidum unum;* in Par. 4613 et Guelph. 2 deest *uno*, sed pro *solidos* hic *sol'*.

V. (CLXI.)

In Epor., Guelph. 1 est cap. *VI*. Notatu dignum est, rubricam adesse etiam in Ma., quamvis in eo codice Memoratorium non sit in capita distinctum; sicuti adesse supra animadvertimus rubricam capitis III: ex quo apparet, hasce rubricas, tum ipsam capitum divisionem, deberi non amanuensibus, sed ipsi legis latori. Deest rubrica in Par. 4613, Guelph. 2; Guelph. 1 non exhibet nisi in indice.

magistros) Cav. et Epor. *quis magistri;* Guelph. 1 *quis magister;* deest in Par. 4613, Guelph. 2.

caminatam) Ita Epor. et Guelph. uterque; rell. *caminata.*

fecerit) Guelph. 2 *fecerint.*

tollat) Ma., Epor., Guelph. 2 *tollant.*

per una) Ita Epor., Par. 4613; *pro una* Guelph. 2; *per unam* rell.

tremisse uno) Ita Epor.; *tremisse .ı.* Guelph. uterque; *tremissem unum* Cav.; *tremissem .ı.* Ma.; *tremisse*, et omittit *uno*, Par. 4613.

si) Deest in Par. 4613, Guelph. 2.

abietarii) Ita optime Guelph. uterque: cf. Commentarium v. cl. Caroli Promis, col. 248, vers 57—col. 249, vers. 24. Ma. et Epor. habent *habitarii;* Cav. et Par. 4613 *habitari.*

cancellas) Ita Cav. et Ma.; *cancella* Par. 4613; *cancelles* Epor.; *cancellos* Guelph. 1; *de cancello* Guelph. 2.

fecerit) Epor., Guelph. 1 *fecerint;* deest in Par. 4613 Guelph. 2.

solidos uno) Pro *solidos* Cav., Ma. *solidum*; Epor., Guelph. uterque *sol'*. Pro *uno* Ma., Guelph. 1 .ɪ.; Guelph. 2 *unum;* deest in Cav. et Par. 4613.

vadat) Ita Epor. et Par. 4613; *vadant* rell.

Si vero) Ita Ma., Par. 4613, Guelph. 2; *et si* Guelph. 1; *et si vero* Cav.; deest in Epor.

peuma fecerit) Pro *peuma* Cav., Ma. *peumas;* pro *fecerit* Guelph. uterque *fecerint;* pro *peuma fecerit* Par. 4613 *perfecerit.*

habent) Epor., Guelph. 1 *habuerint.*

lebant) Guelph. uterque *levant;* Ma. *levent;* Par. 4613 *liberent.*

Et si) Par. 4613 omittit *et.*

carolas) Par. 4613 *casulas.*

fecerit) Guelph. 2 *fecerint.*

gisso) Ita Par. 4613; *gypso* Cav., Guelph. 1; *gipso* rell.

tremisse) Cav. et Ma. *tremissem.*

carolas) Ma. *carulas;* Par. 4613 *scolas.*

annonas ei non repotetur) Pro *annonas* Par. 4613 et Epor. *annona;* Guelph. 1 *anona;* Guelph. 2 *anonam.* Pro *ei* Par. 4613 *vero;* deest in Ma. In Par. 4613 deest *non.* Demum *repotetur* habet Epor.; *reputetur* Cav., Ma., Guelph. 1; *reputet* Par. 4613; *reputent* Guelph. 2.

VI. (CLXII).

In Epor. et Guelph. 1 est cap. *VII.*; deest in Cav.: qua de re vide quae supra notavimus. In Guelph. 1 in indice et in Epor. rubrica est *De marmorariis*; deest in Ma.; in Par. 4613 et in Guelph. 2 rubrica, omissa particula *De*, textui adnectitur hoc modo: *Marmorarios* (Guelph. 2 *Marmorarii*) *si etc.*

quis) Deest. in Par. 4613 et Guelph. 2.

axes marmoreas) Ita recte Ma., Epor.; *axem marmoream* Guelph. 2; *axes marmore* Guelph. 1; *saxis marmoreas* Par. 4613.

fecerit) Ita Epor., Guelph. 1; rell. *fecerint.*

det) Guelph. 2 *dent.*

solidos) Ita Par. 4613; *solidum* Ma.; *sol'* rell.

uno) Ita Epor.; .ι. Ma., Guelph. uterque; deest in Par. 4613.

XV) Ita quattuor codd.; solus Par. 4613 *XXV*, quapropter hanc lectionem, quam olim receperam, nunc rejiciendam putavi: praessertim cum minima sit ejus codicis auctoritas ubi dissentit a Guelph. 2, et in alterutro scriptura incuriae vel arbitrio amananuensis tribuenda sit.

Et si) Par. 4613, Guelph. 2 omittunt *et.*

fecerit) Par. 4613, Guelph. 2 *fecerint.*

de pedes quaternos aut quinos) Ita Par. 4613, nisi quod scriptum *quater nos aut qui nos;* similiter Guelph. 2 *de pedibus quaternis aut quinis;* Ma. *det pedes quaternos quinos;* Epor. et Guelph. 1 *det pedes quinos quaternos.* Tum. Ma., Epor., Guelph. 1 omittunt *det;* pro quo Guelph. 2 *dent.*

tres) Ita plenis litteris Ma., Epor., Guelph. 1; .ııı. Guelph. 2; *quatuor* solus Par. 4613. Huc aptanda

quae nuper diximus de altera ejusdem codicis lectione *XXV.* pro *XV.*

annonas) Guelph. 2 *anonas*; Par. 4613 *annona*; Guelph. 1 *anona*.

ei non) *vero non* Guelph. 2; deest in Par. 4613; Guelph. 1 omittit *ei*.

repotetur) Ma., Guelph. 1 *reputetur*; Par. 4613 et Epor. *repotet*; Guelph. 2 *reputent*.

VII. (CLXIII.)

Deest hoc caput cum sequente in codicibus secundae familiae, seu Par. 4613 et Guelph. 2; in codd. tertiae familiae, omni numero et rubrica omissa, adnectitur capiti *De marmorariis*, quamvis hujus argumentum nihil cum illo habeat commune.

Si vero) Ma. *Si quis vero.*

furno) Ita Epor.; *furnum* Guelph. 1 et Cav.; *furtum* Ma.

in pisile) Ita Cav. et Ma.; *in pensele* Epor.; *impensile* Guelph. 1. Cf. Roth. cap. CCXXI. Vide etiam *Glossarium mediae et infimae Latinitatis conditum a* Carolo Dufresne Domino DUCANGE, *cum supplementis integris monachorum S. Benedicti*, D. P. Carpentierii, *Adelungi, aliorum suisque digessit* G. A. L. HENSCEL; *Parisiis, 1845, T. V., pag. 266*, ad vocem *Pisalis.*

caccabos) Epor. *caccabo;* Guelph. 1. *cacabis.*

postes) Ita optime Ma.; *poos* Epor.; *post* Cav. et Guelph. 1.

et cum — viginti quinque) Epor. *cum pinea sua levaverit caccabos .xxv.*, omissis vocibus *et* nec non *ducenti— caccabos.* Pro *pineam suam* Guelph. 1. *pinea sua.* Pro *caccabos* Guelph. 1. utrobique *cacauos.* Pro *pinea ipsa habeat* Ma. *pineam ipsam habeant.*

exinde tollat) Cav. et Ma. *et inde tollant.*

tremisse uno) Ita Epor.; *tremisse unum* Guelph. 1, *tremissem unum* Cav. et Ma.

quingentos) Cav. et Ma., *quingenti.* Tum Guelph. 1. *cacauos.*

habuerit, habeat) Cav. *habuerint, habeant.*

tremisses) Ma. *tremisse*; Cav. *tremissum.*

mille) Cav. *milles.*

caccabi, tollat) Cav. et Ma. *caccabos tollant;* in Guelph. 1 est *cacaui tollat|lat.*

tremisses) Ma. *tremisse;* Cav. *tres missi.*

VIII (CLXIV).

In Epor. et Guelph. 1 item cap. *VIII*; deest in Par. 4613 et Guelph. 2: cf. supra notata ad cap. VII. Rubricam dedimus ex Cav.; in Epor. hoc loco, tum in Guelph 1 in indice, est *De puteo*; omittitur in Ma. — Integrum caput solus habet Cav.; in Ma. enim desunt priora quindecim verba *Si quis—repotetur*; et mox *puteus—solidos tres;* in Epor. et Guelph. 1 desunt verba *solidos quattor—viginti sex.*

Si quis puteum) Guelph. 1 *Si vero puteum:* Epor. *Si vero puteo.*

annonas) Guelph. 1 *anona.*

non repotetur) Epor. omittit *non* Ceterum hoc loco codd. *reputetur.*

de pedes XXXV) de pedes xxv Ma.; *de pedes xxx* Epor.; *de pedibus xxx* Guelph. 1. Lectionem secuti sumus codicis Cav., magis respondentem proportioni inter profunditatem putei et operae pretium; praesertim cum is unus codex legem integram exhibeat, et ex ejus scriptura *XXXV* reliquorum codicum

scripturae facile derivari putuerint; nec nisi pro uno codice sit auctoritas codicum Epor. et Guelph. 1, qui ex eodem exemplari derivati sunt.

autem) Deest in Epor. et Guelph. 1.

de pedes) Guelph. 1 *de pedibus.*

annonas) Cav. *annona;* Guelph. 1 *anona.*

repotetur) Epor. *reputantur;* rell. *reputetur.*

Explicit—rege) Ita Par. 4613, omissa tamen voce *rege; Expliciunt leges domni Liutprandi regis* Guelph. 1; Cav. formulam repetit quam supra exhibet ad finem Edicti *Explicit—instituit;* Ma. nihil habet, itemque Epor., in quo scilicet sequitur prologus Liutprandi regis; in Guelph. 1 *Finit de Grimoaldo rege Incipit prologus de domno Liutprando rege;* in Epor. et Guelph. 1 sequitur Edictum Liutprandi regis; in rell. Edictum Rachis regis.